CNAEO NAEVIO POETA

SCRIPSIT

Dr. A. SCHÜTTE.

PARTICULA PRIMA.

HERBIPOLI
TYPIS ET SUMPTIBUS CAROLI ETLINGERI.
1841.

2. 2.

A. Schütte

DE

CNAEO NAEVIO POETA

SCRIPSIT

Dr. A. SCHÜTTE.

PARTICULA PRIMA.

HERBIPOLI

TYPIS ET SUMPTIBUS CAROLI ETLINGERI.

1841.

DE

CNAEO NAEVIO POETA

SCRIPSIT

Dr. A. SCHÜTTE.

PARTICULA PRIMA.

HERBIPOLI

TYPIS ET SUMPTIBUS CAROLI ETLINGERI.

1841.

De Cnaeo Naevio poeta.

Quum ex primis litterarum latinarum saeculis conscribendae dissertationis argumentum peterem, prae ceteris Cn. Naevii vita et scripta digna mihi visa sunt, de quibus singulari scriberem libello. Naevius enim non solum primus est inter Romanos, qui comoediam romanam ad veteris graecae comoediae formam rationemque excoluit, verum etiam primus omnium poetarum romanorum patriae fata et res gestas carmine epico concelebravit. Huc accedit, quod ex veterrimis Romanorum poetis Naevius fere unicus est, de cuius vita, ingenio, scriptis singulari commentatione nemo adhuc disseruit. Omnia vero, quae a viris doctis de eo scripta sunt et diiudicata, partim propter librorum veterum, Varronis, Festi, Grammaticorum ad nostram usque aetatem miserrimam corruptelam, hac ipsa fontis, ex quo hausta sunt, pernicie imbuta, partim tam multis libris dispersa et disiecta sunt, ut omnia uno colligere volumine operae sane pretium sit.

Ut vero iusta via beneque succinctus opus, quod in me recepi, aggrediar, nomina virorum clarissimorum, quorum libris hac ipsa in commentatione saepissime usus sum, in operis limine addere consentaneum mihi visum est.

Primus omnium, qui doctorum virorum studia ad veteres Romanorum poetas revocavit, Jos. Scaliger fuit, vir et amplissima doctrina et divino quodam ingenio, qui in notis ad libros Ter. Varronis de l. l. conscriptis et in castigationibus Festi Paulique intermortuam fere illorum poetarum memoriam restituens multa Naevii quoque fragmenta ingenio illustravit. Quem secuti sunt Q. Ennii interpretes clarissimi Hieronymus Columna et Paulus Merula, atque ii, qui Roberti et Henrici Stephani exemplum imitantes veterum poetarum fragmenta collegerunt: Mart. Ant. Delrius (Syntagma tragoed. lat. 1594); Petr. Scriverus (collect. vett. trag. cum carissimis Gerh. Joan. Vossii castigationibus. 1620), aliique, quorum amplissimum recensum invenies in Henr. Planckii de Ennii Medea commentatione p. 1—8 et in E. Spangenbergii libro de Q. Enni Ann. libr. XVIII. fragm. p. XXXVIII—XLVI. — Deinde haec studia totum fere saeculum omnino inculta iacuere, usque dum nostra aetate Fr. Henr. Bothius (in poetarum Latii scenicorum fragm. 1823) rem denuo aggressus etiam Naevianarum fabularum fragmenta, metrorum quoque rationem gerens, edidit. Praeter eum E. S. (Ez. Spangenbergius) Ennii annalium fragmentis Naevii quoque de bello punico versus nobis conservatos adiecit, et multis locis Weichertus, vir sagacissimus, in commentationibus de Laevio, Hostio aliisque poetis latinis; Osannus in Analectis criticis; Henr. Düntzerus et Laur. Lersch in libello de versu, quem vocant, saturnio, Munckius in commentatione de fabula Attellana; Hermannus in libris de elementis artis metricae, alii aliis in locis de Naevio poeta disseruere. Quae omnia colligere, iustoque disponere ordine, et quantum parvo liceat ingenio, amplificare, hoc libello conatus sum.

I.

De Cnaei Naevii vita.

1.

De Naevii nomine et patria.

Naevii poetae nomen in libris veterum plerumque neque praenomine neque cognomine addito nobis refertur. Ex duobus vero Aul. Gellii locis in Noctt. Att. I. 24. VI. 8. atque ex imagine quadam poetae nostri, cui inscriptum erat: Cn. Nevius Cap. videmus, eum Cneum fuisse cognominatum; qua re in Festo s. v. topper atque in Gell. Noctt. Att. XVII. 21., ubi C. Naevius in libris et codd. legitur (littera N propter insequentem eandem litteram forsitan omissa) Cn. Naevius restituendum esse puto. Quum vero in omnibus veterum scriptorum libris, a quibus Naevii fragmenta nobis sunt conquirenda, nusquam Naevii nomen adiecto hoc cognomine referatur; ex litterarum similitudine et facillimo calami lapsu error quidam in antiquis libris manu conscriptis natus est, quo saepissime Naevii, Laevii, Livii, Novii nomina inter sese adeo confundantur, ut quae fragmenta unicuique eorum sint tribuenda, difficile sit diiudicatu. Quam frequentem nominum perturbationem primus vidit omnium sagacissimus Jos. Scaliger (ad Auson. centon. nuptial. p. 517. ed. Toll.), quem multi deinde secuti sunt, quorum nostra aetate Langius (vindic. trag. Rom. p. 10.), Osannus (analect. crit. p. 38), Weichertus (in comment. de Laevio poeta) rem accuratius investigaverunt. In lege vero ista, quam magna quidem sagacitate Langius l. l. constituit, quaque du-

biis in locis, quae fragmenta aut Laevio, aut Livio aut Novio sint vindicanda constituit, certa quadam regula decernatur, Naevii nomen omisit vir doctus, nec sine justa ut mihi videtur caussa. Dicit enim: „Videant mecum critici, an hanc saltem legem constituere liceat: ubi de hexametris sermo sit, non Livii nomen poni licere, ubi de tragicis neque Novii neque Laevii, nisi ipsum jam scriptorem errasse putes.“ Nam quum haec lex ea de quaestione partim dependeat, utrum ante Ennium versus longi in litteris latinis inveniantur, nec ne, et de Naevio, quod infra videbimus, lis adhuc sub judice sit: recte omisit Naevii nomen. Id vero pro certo possumus constituere, in omnibus locis, quibus comoediae fragmenta nobis tradita sunt, aut fragmenta, quae propter suum sensum et naturam inter comoedias sint censenda Laevii nomen omnino nobis sit reiiciendum. Qua re ut unum praebeam exemplum, et Weichertum et Osannum p, 8. errasse puto, quippe qui versus, quos Fulgentius Placiades (Expos. serm. antiq. s. v. Frigut-tire p. 562 ed. Merc.) nobis his verbis refert: »Ennius in celestide comoedia: »»Haec anus admodum friguttit; nimirum sauciavit se flore Liberi««; Laevio tribuerint, qui versus et propter argumenti ac dicendi rationem et propter adiectum vocabulum »»comoedia«« aut Naevio aut Ennio vindicandi sunt. Sed quoniam ad singula Naevii fragmenta saepius et accuratius pro singulo loco de hac nominum perturbatione locuturi sumus, rem hic omittentes ad dissertationem de nomine et patria Naevii revertamur. — Cognomen Naevio Sangam fuisse Merula ad Ennium p. XLV. argumentatus est. Refert enim Calpurnius Piso in Mscr. de veterum poetarum continentia, quem librum Parisiis in bibliotheca St. Victoris sese inspexisse Merula confirmat (cf. Merulae ed. pr.

p. εξ.) versum quendam, qui nullo alio in libro exstat, quemque vir clarissimus Naevio tribuendum esse putat, hisce verbis: »Cn. Sanga libro IV. de bello punico primo: »»Inhospitalis victrices absorbet unda Latium legiones homonum««. Quod fragmentum Merula tribus commotus caussis Naevio vindicandum, eique ideo cognomen Sangae tribuendum esse arbitratus est: I. quod veterum, qui quidem noti, nemo scripserit carmine bellum punicum primum; II. quod versus ille non alienus a reliquis Naevianis; III. quod eius cognominis haud dubiae notae exstarent apud Nonium Marcellum s. v. Fulgurivit, quo legitur loco: Fulgurivit — fulgorem fecit vel fulmine afflavit: Novius sane a suo sonitu claro fulgurivit Jupiter«; et quibus verbis Merula Naevii nomen sic eruere conatus est: Naevius Sanga: Suo sonitu claro fulgurivit Jupiter. — Verum hac in re diiudicanda de Calpurnio isto Pisone eiusque libro est nobis inquirendum. Nemo enim neque ante Merulae aetatem nec postea in bibliothecis vidit hunc librum. Qua re jam Hermannus in elem. p. 632 movit dubitationem, quam tantopere satis docta dissertatione, H. Hochius in libello de Enn. fragm. a Paullo Merula auctis p. 4—8 auxit, ut Merula vix possit fraudis suspicionem effugere. At etiamsi omnem animo evelleris de isto Calpurnio Pisone suspicionem, caussae, quas Merula prodidit, mihi non sufficere videntur, ut earum sola auctoritate nisi Naevio cognomen Sangae tribuendum esse putemus. —

Altera vero gravior est quaestio qua patria oriundus sit poeta. Fere omnes scriptores, unico Carlo Denino in »Discurso sulla litteratura« excepto, Naevium Campanum fuisse contendunt, A. Gellii auctoritate usi, qui in Noct. Att. I. 24 haec nobis tradidit: »Epigramma Nae-

vii plenum superbiae Campanae, quod et cett.« Sed quum superbia campana ab aliis scriptoribus saepe reprehendatur, et superbia campana nihil aliud nisi magnam nimiamque superbiam significet: haec Aul. Gellii verba, nisi alia accedunt argumenta, non suffiicere videntur, ut hac sola commoti auctoritate Naevium Campanum fuisse contendere possimus. At accedunt alia quaedam argumenta, quorum ut roret antequam pluat primo levissima proferam. Ex ipsarum enim Naevianarum fabularum fragmentis et litterarum, qua eo tempore Romae erant condicione Naevium in terra esse oriundum apparet, in qua Graecae florerent litterae atque artes. Quare aut in ea Italiae regione eum natum esse putare debemus, quae Magna Graecia, cuiusque incolae Graeci et Semigraeci nominantur, aut in Campania, cuius oppidis, Capuae, Neapoli aliisque Graecae artes et litterae laetissime florebant. Si vero Semigraecus fuisset, certo auctor de illustr. Gramm. c. 1., ubi Livium et Ennium Semigraecos fuisse et utraque lingua domi forisque docuisse dicit, Naevium quoque adiicisset, aut Cicero aliique scriptores Romani in locis, quibus de Graeco litterarum romanarum ortu loquuntur, atque Livium et Ennium tamquam argumenta addunt Naevium quoque semel saltem in tanta locorum multitudine nominassent. Cui levissimo quidem argumento duo accedunt alia. Legitur enim in Naevii, de qua supra dixi, statua [1]), Cn.

---

1) Cuius imaginis inscriptioni quantam auctoritatem tribuere possimus, quum nusquam alibi eam aut memoratam aut descriptam invenissem, non audeo diiudicare. Mirum vero mihi videtur et contra antiquitatis rationem scribendi, quod non Naevius, sed Nevius ei subscriptum sit. Nam in omnibus, quae ut inspicerem mihi facultas erat inscriptionibus et liberae rei-

Nevius Cap., quo aut Capuanum aut, quod idem fere est, Campanum eum fuisse apparet. Denique quod ex ipsis fragmentis intelligere possumus, Naevium et Plautum vera et sincera lingua romana locutos esse Cicero nobis tradidit (cf. Cic. de orat. III. 12.), quo quidem loco non sine iusta quadam caussa neque Livium neque Ennium aut Terentium nominat, quod illi, quum didicissent linguam latinam, non integrum vernaculi sermonis colorem induerant, sed potius in ipsis comoediis latinis Graeco habitu, ut ita dicam, incedebant. Naevius vero, quum in Campania praeter linguam graecam [2]) latina quoque propter frequentem cum Romanis usum et consuetudinem, esset usitata, facilius integro sermone romano, nec ullo graeco adsperso colore loqui potuit, quam Semigraeci, Livius, Ennius, Terentius. Hoc praecipue puto Terentium spectasse, quum Naevium barbarum poetam nominaret.

---

publicae ex tempore et ex primis romani imperii saeculis nusquam syllabam „ae“ simplici „e“ littera, sed ubique aut per litteram „ai“, aut vulgari ratione scriptam inveni. Huc accedit, quod in poetarum statuis antiquis, quoad scio, fere nusquam nomen inscriberetur. Qua re equidam, ut meam proferam sentenfiam, sic de hac re cogito: Statuae cuidam, quae fortasse Capuae erat inventa a viro docto seculi XV aut XVI, ut gloria patriae augeretur, nomen Naevii, quippe qui Campanorum poetarum primus esset, inscriptum esse. Quod ea, quam dixi, aetate ab Italis vano gloriae studio factum esse, viris doctis non est ignotum. Seculo vero XIV—XVI, ut ex Varronis maxime codd. intelligi licet, non Naevius, sed Nevius scribebatur.

2) De Graecae et opicae linguae in Camp. usu cf. Vellei. I. 4. Strab. V. p. 246. VI. p. 253.

Quae de nomine et patria Cn. Naevii, Campani, addidisse sufficiant: iam de gente Naeviana, ex qua erat oriundus, paullulum disseramus. Naevius enim non ut Livius, Terentius aliique poetae latini libertinus fuit, et in domini gentem receptus, cuius nomen accepit; sed aut socius fuit liber, aut quod equidem puto, municeps iam in patria Campana iure civitatis romanae donatus. Nam quum Gellius Noct. Att. XIX. 21. Naevium in carmine de bello punico primo tradidisse confirmat, sese in hoc bello stipendia meruisse, nec eo tempore servi aut libertini in exercitum romanum centuriarentur: eum aut socium, qui inter legiones Campanas stipendia merebat, aut civem optimo iure fuisse necesse est. Libertini enim gravissimo tantum reipublicae discrimine in militiam centuriati sunt, et hoc, quando factum est, ubique a scriptionibus diligentissime nobis relatum est: ut in bello periculoso cum Samnitibus, Etruscis, Gallis eodem tempore inito cf. Liv. X. 21., in bello punico secundo cf. Liv. XXII. 11. Quin etiam quando libertini in militiam navalem descripti sint, hoc ut contra morem et consuetudinem factum esse ab historiarum scriptoribus accuratissime refertur. cf. Liv. XL. 18. et Liv. XLII. 27.

Quoniam vero iam ante Naevii aetatem post bellum latinum u. c. CDXVI. Campanis fere omnibus civitas sine suffragio data erat (cf. Ennium: »Cives Romani tunc facti sunt Campani«, et Liv. VIII. 14. Vell I. 14. Nieb. II. 66, eiusque sententiam disturbans Madvig. opusc. p. 242.): veri similius est, Naevium poetam liberum fuisse municipem iure civitatis [3]). Stipendia igi-

---

3) Hoc loco forsitan mihi quis obiiciat verba Aul. Gellii Noct. Att. III. 3.: „a triumviris in carcerem coniectus est“: et

tur meruit inter legiones Campanas, quae seorsum a legionibus vere romanis militiam subibant. Quae omnia accuratius exposui, propterea quod ii, qui, ut macula quadam aspergant poesim romanam, a libertinis maxime eam esse excultam contendunt, haud rare Naevium quoque praeter Livium, Terentium, Cornelium Gallum, Horatium inter libertinos referunt.

Qua re quum natu liber esset Naevius, nomen Naevii eum in patria Campana iam gessisse puto. Nam municipes, qui patria relicta rem suam Romam translocabant, non in gentem quandam, cuius nomen induebant, recipiebantur, sed suo nomine, quod iam in patria gesserant, a Censore inter cives, verum inter aerarios censebantur. Naevii vero nominis origo ex lingua opica, quae Campanis erat usitata, est derivanda. Sicut enim Attius a Sabina voce Atta, Attus, Varius a vocabulo opico »Varus,« Servius a »Servus« est derivandum, sic Naevius quoque ab opica voce Naevus, quae in corpore ὑπερσάρκωσιν (cf. Gell. Noct. Att. XII. 1.) significat, nominabatur. Nomina ad eandem analogiam composita vid. apud Sigonium (de nom. Rom. cap. IV. in Graev. thes. antiq. Rom. tom. II. p. 1970)

---

quum triumviri de scelere eorum tantum, qui cum cives non essent, tamen in urbi habitarent, ac de vilibus personis iudicarent, facinorisque convictos punirent, hac commotus caussa. Naevium quoque non civem fuisse contendat. Sed quum etiam hoc triumvirorum munus esset, ut a praetore damnatos in carcerem deducerent, et Cn. Naevius, ut liber municeps Campanus, eorum foro addictus esset, id, quod protulerunt argumentum, ad meam disturbandam sententiam mihi nihil valere videtur. De re cf. Fabr. Semest. libr. II. 5, 6. Reuvard. variorum libr. II. —

atque J. C. Orellium (in Excurs. VI. ad Cic. pro Planco c. 24. p. 259). Utrumque vero nomen Naevius et Naevus ita differt, ut Naevius gentile sit, contra Naevus, quod et Gnaevus, Gnaeus (ut gnatus, gnatura, frugmentum) et Cnaeus scribebatur (cf. Epit. de nomin. rat. in Val. Maxim. ed. Bipont. p. 497), cognomen sit, quod multis adhaesit gentibus; ut videri licet ex Glandorpii Onomastico et Drumanni V. cl.: Gesch. des Röm. Staates u. s. w. — Gentem vero Naeviorum etiam Romae antiquissimam fuisse ex nomine portae Naeviae, quam iam primo liberae reipublicae tempore Liv. libr. II. 11. (cf. Fest. s. v. ibique Scal.) nominat, colligo: verum ignobilis erat et plebeia haec gens etiam postero tempore. Mirum autem est, quod ante poetae aetatem nusquam Naevius quisquam in Rom. civitate nominatur, inde ab eius aetate vero multi; de quibus cf. Liv. XL. 13. XXIV. 40. XXXVIII. 32. XXXVIII. 56. Val. Max. III. 7. 1. Cic. in Verr. II. 8. V. 41; qua re quis forsitan argumentari possit, eos a Naevio poeta et nomen et originem traxisse.

Quo tempore Naevius noster natus sit, aut quando Romam pervenerit, nobis non est traditum; at ex anno quo primam in scenam edidit fabulam, de quo infra locuturi sumus, probabilitate quadam id colligere possumus. — Diu vero Romae habitasse mihi videtur, si ex corruptissimo M. Ter. Varronis loco de l. l. IV. 45 ed. Bipont. coniici licet, a Naevio poeta nemora Naevia, quae erant iuxta urbem ad portam Naeviam sita, esse nominata. Sed quum, quod supra dixi, portam Naeviam [4]), iam in bello cum Porsenna gesto Livius II.

---

4) Porta Naevia sita erat iuxta portam Randuscalam, inter por-

ll. nominaverit, et Festus s. v. Naevia, silvam iuxta urbem, quod Naevii cuiusdam fuerit, esse dictam nobis tradiderit: neque portam, quippe quae ante Naevii aetatem sic esset dicta, neque nemora, a quibus Varro l. l. portam esse nominatam scripsit, a Naevio poeta nomen traxisse puto. Nam si Festus nostrum poetam intellexisset, non a Naevio „quodam" esse dictam Naeviam silvam scripsisset. Qua re Varronis verba corruptissima alia atque adhuc factum scio ratione sananda esse [5]), et E. Spangenbergium multosque alios, qui de hac porta quaedam notavere, errasse arbitror.

2.

De anno, quo Naevius primam in scenam prodiderit fabulam.

In ipso de hac re disputationis limine praemonendum est, omnem de Naevii aetatem, qua vixerit, quaestionem, quum ex priore vitae eius parte ad nostram usque cognitionem nihil fere pervenerit, eo dependere atque proficisci, quo anno primam docuerit fabulam. Sed etiam de hac re veterum scriptorum non certa exstat sententia. Aul. Gellius enim in noctibus att., quibus nobis tam multa carissimaque antiquitatis monumenta conservavit, libr. XVII. 21 ex Terent. Varronis de poetis libro I. haecce tradidit: Quingentesimo unde-

---

tas Esquilinam et Asinariam. — Ducta erat per portam Naeviam via Tiburtina et via Lavicana.

5) Locum fortasse cum J. Scaligero sic restitues: Naevius etenim loca, ab eo sic dicta, coluit; — aut id quod mihi probatur: Naevii enim erant loca, ab eo sic dicta. —

vicesimo anno u. c. Sp. Carvilium Rugam primum Romae divortium cum uxore fecisse, eodemque anno C. Naevium (restitue Cn. Naevium) poetam fabulas apud populum dedisse. Alio vero loco N. A. libr. IV. 3. scribit, divortium a Sp. Carvilio cum uxore factum esse anno u. c. DXXIII., M. Attilio, P. Valerio coss., idque ex Servii Sulpicii libro de dotibus refert. Qua re aut prior de hoc divortio locus libr. XVII. 21, aut alter libr. IV. 3, annorum numeris commutatis sanari debet. Quum vero e Fastis Capitolinis videri liceat, M. Attilium et P. Valerium non anno DXXIII sed anno DXXVII consules fuisse (nam anno DXXIII M. Pomponius Matho et C. Papirius consules fuere): trias evadit annorum, e quibus unicus ubique restituatur necesse est, aut annus DXIX, aut DXXIII aut DXXVII. Qua in re diiudicanda primo ex internis, quae dicimus, argumentis, apparet, annum DXXVII Gellium intelligere non potuisse. Addidit enim ipse Sp. Carvilium a censoribus iurare esse coactum (cf. Dionys. Hal. II. c. 25. *ἀναγκαζόμενος ὑπὸ τῶν Τιμητῶν ὀμόσαι*); qua ex re eo anno Censores Romae fuisse ut colligamus necesse est. M. Attilio vero, Publ. Valerio coss. anno u. c. DXXVII censores Romae non fuisse e Fastis Capitolinis intelligimus. Huc quum accedat, quod Val. Max. de matr. ritu. libr. II. 1. 4. et Dionysius Hal. l. l. alio ac anno DXXVII primum divortium factum esse tradiderunt, hoc Gellii loco aut annorum numerus aut consulum nomina aut utrumque commutanda sunt. Quaeritur igitur, utrum annum DXXIII. an annum DXIX. constituamus. Quorum hunc spectare videtur Val. Max. l. l.: „Repudium [6])

---

6) Valer. Max. hoc loco vocabula repudium et divortium perverse inter sese commutat. Repudium enim Sp. Carvilius Romae non

inter uxorem et virum a condita urbe usque ad vicesimum et quingentesimum annum nullum intercessit; illum vero aperte significat Dion. Hal. l. l. *Κατὰ δὲ τὴν ἑβδόμην ἐπὶ ταῖς τριάκοντα καὶ ἑκατὸν ὀλυμπιάσιν, ὑπατευόντων Μάρκου Πομπωνίου καὶ Γαΐου Παπιρίου, πρῶτος ἀπολῦσαι λέγεται τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα Σπούριος Καρουΐλιος, ἀνὴρ ὀυκ ἀφανὴς, ἀναγκαζόμενος ὑπὸ τῶν Τιμητῶν ὀμόσαι, τέκνων ἕνεκα γυναικὶ (μὴ) συνοικεῖν. κ. τ. λ.,,* dicitque hoc factum esse Olymp. CXXXVII., M. Pomponio, C. Papirio coss. — Qui ex Fastis Capit. consules fuere anno a. u. DXXIII. Qua re quum et Aul. Gell. libr. IV. 3., et Dion. Hal. auctoritate primi divortii annus u. c. DXXIII. constituatur, non est dubitandum, quin in libr. XVII. c. 21 annus DXXIII. sit restituendus, in alio autem loco libr. IV. 3. nomina consulum sint commutanda, qua in re non Gellius, sed Serv. Sulpicius, cuius verba refert, errasse videtur. —

3.

Naevius in carcerem coniectus exsul factus Uticae diem supremum obiit.

Utrum prima fabula, quam in scenam prodidit, comoedia an tragoedia fuerit, nobis a scriptoribus vett. non est traditum. Sed quum inter Romanos fabula ex

---

primus cum uxore fecit; nam jam anno CDXLIV. u. c. L. Antonius uxorem repudiaverat. Plane aliud vero est divortium, aliud repudium. In divortio enim a magistratu quodam, Censore aut Praetore, „commissio", quae vocabatur „in manus", tollenda erat; repudium vero sine legitimas juris formas constabat.

Satiris, carminibus ioco et hilaritate refertis, nata sit, et populo Romano, ut cuique genti, in qua ars scenica nondum diu est tractata, multo magis comoediarum deliciae arriderent, quam tragoediae severitas: Naevium quoque ut Livium Andronicum, de quo nobis perspicue est traditum (cf. Diomed. III. p. 386 ed. P. et Schol. Cruq. ad Hor. epp. libr. II. 1. 69.) prius comoedias in scenam edidisse, et postera demum aetate tragoedias scripsisse colligo. In comoediis vero nimis libera lingua locutus esse videtur (cf. Fest. s. v. liberal. »Libera lingua loquimur festis liberalibus«; et Volcatium Sedigitum apud Gell. N. A. libr. XV. c. XXIV.: »Dein Naevius, qui fervet« et cet.); nam in comoediis veteris Graecae comoediae dicendi libertatem imitari studuit. (cf. Cic. de Rep. fragm. libr. IV. apud Aug. de civit. dei II. 9.) Laeserat vero hac assidua, qua erat maledicentia principes civitatis, Scipiones imprimis et Metellos; quorum in Scipionem Africanum, quem milites quoque propter vitam delicatam et multos amores *φιλογύνην* (cf. Polyb. X. 19.) nominabant, hosce versus scripserat:

»Etiam qui res magnas manu saepe gessit gloriose,
Cuius facta viva nunc vigent, qui apud gentes solus
Praestat: eum pater cum pallio uno ab amica abduxit.«
(cf. Gell. VI. 8.)

Non dubito, quin hic Scipio fuerit Publ. Corn. Scipio Africanus major (Publ. Corn. Scipionis cos. u. c. DXXXVI. filius), qui consul erat anno u. c. DIXL. et DLX., censor DLV. Nam hoc et Gellii l. l. et ipsius Naevii verba mihi comprobare videntur. Gellius enim VI. 8. dixit: de eiusdem Scipionis moribus, Naevium forsitan secutum adversus omnes scriptores Val. Antiatem sensisse, et puellam captivam hispanam eum

non reddidisse patri scripsisse, sed retentam a Scipione atque in deliciis amoribusque ab eo usurpatam. — Quae res a Livio libr. XXVI. c. 50 plane alia ratione narrata de Scipione Africano maiore refertur. Quibus caussis inductus Merulae non possum consentire, qui p. CIII. Scipionem, quem Naevius dessignasset, fuisse putat P. Corn. L. F, Scipionem, consulem a. u. DXXXV (ex nostra ratiocinatione temporum DXXXVI) fratrem Cn. Cornelii Scipionis Calvi cos. DXXXII, patrem Publ. Corn. Scipionis Afr. maj. — Rem vero eam ob caussam accuratius tractavi, quod est magni momenti ad deturbandam Ciceronis de anno, quo Naevius mortuus est, ratiocinationem, atque ad confirmandam Varronis de eo opinionem. — Praeter Scipionem etiam Q. Caecilium Metellum cos. anno u. c. DXLVI. sic verbis laeserat:

Fató Romái fiúnt || cónsulés Metélli.[7])

notans acerbitate quadam eum fato consulem factum esse, qui non fuisset aetatis consularis, necdum fuisset praetor. (cf. Pseud. Ascon. ad Cic. in Verr. I. 10. 29 ed. Orellii). Quibus auditis Metellus in Naevium versum Saturnium huncce retorsisse dicitur:

„Dabúnt malúm Metélli || Naévió poétae“.

(cf. Terent. Maur. de metr. p. 2449 ed. Putsch. Atil. Fortunat. p. 2679 et 2698. Plot. de metr. p. 2560 P.

Zumptius vero, V. Cl. in animadv. ad Cic. in Verr. I. 10. 29., quem secuti Krausius in Römische Litteraturgeschichte p. 131 et H. Düntzerus in libr. l. p, 72, priorem versum: Fatum Romai fiunt, consules Mettelli; a Grammatico quodam postea fictum, nec Naevio vindi-

---

[7]) In hoc versu, qui in codd. sic. legitur: Fato Metelli Romae fiunt consules, Saturnium restitui, paucis immutatis.

candum esse arbitrati sunt. Quam quidem sententiam nulla ratione possum comprobare. Metellus enim, quem notat Naevius, fuit Q. Caecilius Metellus Q. F. Q. N., qui consul erat cum L. Veturio L. E. L. N. Philone, anno ab u. c. DXLVII, biennio igitur ex Ciceronis ratiocinatione ante mortem Naevii. Metellus vero factus est consul ex magistro equitum, quo illum honore affecerat Dictator M. Livius M. F. M. N. Salinator; aedilis plebis fuerat anno DXLIII; curulis biennio post. Ex quibus manifectum est, cur fato quasi factum consulem hunc Metellum notet Naevius, quod non solum non esset aetatis consularis, sed etiam quod nondum fuisset Praetor, quem magistratum eius collega L. Veturius gesserat anno u. c. DXLV.

Quem unicum hoc versu haud invenuste perstrixit poeta, etsi numero plurali — Metelli — usus est. Quae igitur Zumptius de gloria et potentia Metellorum, qua multo demum post Naevii mortem floruerint, protulit, ea etsi omnino sunt comprobanda, mihi ad versum hunc Naevio surripiendum nihil valere videntur. Quibus vero caussis H. Düntzerus alterum quoque versum. „Dabunt malum Metelli Naevio poetae“ a grammatico quodam fictum esse putet, equidem non intelligo, quum quod a tot Grammaticis comprobatur, nullis disturbaverit argumentis. —

Naevio autem re vera ob hanc nimiam linguae licentiam malum dedere Metelli. Nam eorum opera secundum leges duodecim tabularum ob probra in principes civitatis in vincula Romae a triumviris coniectus est: cf. Gell. III. 3. quam rem Plaut. in mil. glor. v. 213 et 214 innuere videtur:

„Nam os columnatum Poetae inesse audivi barbaro
Cui bini custodes semper totis horis accubant.“

Erat enim in XII tabulis capite sancitum, si quis occentasset, carmenve condidisset, quod infamiam faceret, flagitiumve alteri. cf. Cic. de Rep. libr. IV. Aug. de civit. de II. 9. Tuscul. IV. 2. Auct. ad Herenn. II. 13. 19. Horat. epp. libr. II. (139. Fest. v. v. occentasit, ibique Jos. Scaligeri notas). E carcere vero, quum duas in eo scripsisset fabulas, Hariolum et Leontem, quibus delicta sua et petulantias dictorum dilueret, a tribunis plebis contra voluntatem (sic mihi videtur) nobilium exemptus est. cf. Gell. l. l. Paullo post autem factione nobilium et praecipue Metelli (cf. Hieronym. in Chron. Euseb. Olymp. CXLIV) Romae Uticam in exilium pulsus est, ubi M. Cornelio Cethego C. Sempronio Tuditano coss. u. c. DXLIX. secundum Ciceronis temporum ratiocinationem diem supremum obiit. cf. Cic. Brut. c. XV ibique Wetzelium. Varro vero diligentissimus antiquitatis investigator in hoc esse erratum putat, vitamque Naevii multo longius producit. cf. Cic. l. l. Qua auctoritate gravissima commotus rem accuratius tractans hac quoque in annorum ratiocinatione et Ciceronem et eius interpretem Wetzelium errasse arbitror. Nam quum Hieronymus in Chron. Eus. Olymp. CXLIV Naevium Uticae mortuum esse tradiderit, nec ulla nobis sit caussa, qua commoti hanc Hieronymi narrationem omnino fictam esse putemus: iam hac ex re, si diligentius ad historiam eius temporis spectamus, Naevium, si unquam Uticae mortuus est, multo post M. Cornelium Cethegum, T. Sempronium Tuditanum coss. mortuum esse colligi licet. M. Corn. Cethego enim, T. Sempronio Tuditano coss. Utica, quae urbs secundo bello punico Carthaginiensibus singulari fide addicta erat, a Scipione oppugnabatur; qua re Naevium aut transfugam ad infestam Romanis urbem, aut etiam

in urbem a Romanis eo tempore oppugnatam in exilium missum esse arbitrandum est. Verum enim vero quum non solum Cicero in huius temporis ratiocinatione erraverit, sed etiam gravissimi historiarum scriptores, Polybius et Livius omnem huius temporis rationem plane disturbaverint, seu Scipionum adulatione quadam commoti, seu communi Fastorum pernicie inducti: mihi hoc loco, quod et ad nostram disputationem consentaneum est, brevissime eius temporis ordinem, quem ad modum nos eum restituendum esse putamus, tractare liceat. — Anno igitur u. c. DL Sempronio et Cethego coss. postquam in Cicilia exercitum classemque paraverat, Scipio in Africam traiecit, Uticamque per totam hiemem oppugnavit, nec expugnavit — Sequente deinde anno u. c. DLI Cn. Serv. Caepione, C. Servilio Gemino coss. denuo urbem obsessit, omnesque belli vires in eam oppugnandam convertit. (cf. Liv. XXIX. 25. XXX. 3—10. Appian. VIII. 14—30. Zonaras IX. 13.14. Polib. fragm.) Pugna denique ad Zamam commissa (anno u. c. DLII, die XIX Octobris secundum nostra, secundum romana calendaria initio Decembris cf. Zonar. IX. 14.)[8]) paceque cum Carthaginiensibus composita Utica nondum expugnata omni oppugnatione liberata et Carthaginiensibus reddita est. (cf. Beckeri dissert. in Dahlmanni libro, cui est titulus: Forschungen auf dem Gebiete der Geschichte tom II. p. 153—200 et Beckeri programm.: Ueber Livius XXX, 25—29. Ratzeb. 1822.)

Quo modo igitur fieri potuit. ut Naevius M. Tuditano et Sempronio consulibus Uticam, quae urbs et op-

---

8) Pugnae annus et dies acuratissime reputari potest ex solis defectione, quae Zonar. l. l. auctore eo die exstitit.

pugnata eo anno erat et Romanis infesta per totum bellum, in exilium pusus sit, ibique diem supremum obierit? Nonne multo verisimilius est, Naevium, si unquam Uticam exul factus est, bello punico iam finito eam in urbem in exilium missum esse? — Quam sententiam nostram alterum quoque argumentum, idque gravissimum comprobat, quod ex Naevii versibus in Scipionem compositis eruere possumus. Nam ea verba Scipionem, qui Carthaginiensibus devictis re vera „res magnas manu gesserat gloriose" et cuius tunc „viva vigebant facta", „qui apud gentes solus praestabat" designare videntur, nec ante pugnam ad Zamam commissam composita esse possunt. Qua re quum ad haec argumenta Varronis accedat auctoritas, mihi quoque Naevius longius quam Cicero tradidit, vitam produxisse et finito iam bello punico secundo mortuus esse videtur.

Epigramma, unde Naevium Campanae superbiae reum agit Gellius I. 24. sepulcro incidendum hocce reliquit:

Mortáles ímmortáles || flére sí forét fas
Divaé Camoéna flérent || Naéviúm poétam.
Itáque postquam est Orcíno || tráditus thesaúro
Obliti Rómae lóquier || súnt latína língua.

(cf. not. 9)

---

9) Proprium hoc fuit prisci et Graecorum et Romanorum aevi, ut qui sua se virtute valere ac gloria extolli scirent, disertis hoc verbis praedicare non dubitarent, sicut apud Homerum fortissimi viri suam ipsorum bellicam virtutem laudibus efferunt, atque Attius poeta Romanus sibi ipse in Camenarum templo statuam posuit (cf. Plin. hist. nat. XXXIV. 5), atque Ennius huiusce distichi in suo ipsius epithaphio auctor erat:
„Nemo me lacrumis decorat, nec funera fletu
Faxit. Cur? Volito vivus per ore virum.
(cf. praeterea Horatii verba: Exegi monumentum — aliaque multa.)

Absolutae igitur de Naevii vita commentatione mihi prius quam ad alteram dissertationis partem, qua de carminibus eius sum locuturus, progrediar, de aequalibus, quibus usus est et de temporis ipsius, quo vixit, ratione ac natura pauca eaque brevissime disserere consentaneum visum est. Ex iis, quae de anno, quo primam in scenam fabulam prodiderit, et de anno, quo mortuus sit, disseruimus eius aevi ambitum certis quibusdam finibus nobis circumscribere licet: intelligimus enim ex iis Naevium inde a belli punici primi initio, usque ad finem secundi vixisse. Fabulas autem primas in scenam edidit, nondum iuvenis, sed adulta iam aetate, quadragenarius vel quinquagenarius. Qua re fervida eius natura, quae in iis apparuit, non iuvenili indoli, sed potius animi eius gravitati et ingenii libertati est tribuenda. — Aequalis vero et aemulus ei fuit Livius Andronicus, primus[10]) fabularum scriptor inter Romanos, qui duodecim fere ante Naevium annos in scenam Romanam prodiit. Vidit deinde Naevius Pacuvium, iuvenem, Ennium adolescentem et virum, qui triginta annos post Naevii mortem eius versibus et rudi arti iam deridere ausus est; (tam rapiduserat litterarum latinarum cursus!) Plautum denique, summum Rom. comoediae scriptorem. Praeter eos poetas eodem tempore gravissimi vixerunt, quos unquam protulit respublica romana, viri, — belli punici primi duces atque consules — Duilius, Calpurnius Flamma, alter Leonidas, Regulus, Catulus, secundi belli punici imperatores clarissimi, Hannibal, Fabius Cunctator, Scipiones, Paulus Aemilius — magnae animae prodigus — omniumque princeps Africanus maior.

---

10) (cf. Osann Analecta eritt. p. 1—68.)

Splendidissima igitur et gravissima vixit civitatis romanae aetate.

Quid igitur mirum, quod qui tantos ante oculos videret viros, tot virtutis exempla, tamque grandia facta — ea carminibus concelebrare studuerit! Quid mirum, quod Musae Olympo deserto pinnato gradu Romam in novam patriam ea aetate migraverint.

II.

De Naevii carmine epico.

Qui artium et litterarum in diversis populis origines et progressus inter se componunt, ac naturales et necessarios eorum modos cognoscere student, iis, quum a graecis litteris ad latinas transierint, praeter alia multa id vel maxime mirum videatur necesse est, quod inter Graecos ab uno eodemque poeta unum tantum poesis genus, ut a tragicis tragoedias, a comicis comoediam, ab epicis epicam solam poesim exercitam inveniant, inter Romanos vero iam in litterarum initiis ab eodem poeta fere omnia poesis genera tractata videant. Unus Ennius ad ea, quae dicta sunt, comprobanda exemplo esse potest. Is enim non solum in epica et dramatica poesi versatus est, verum etiam ad satiras atque epigrammata et didactica carmina cuiuscunque generis animum admovit, ita ut nescias, ad quoddam poesis genus ingenio nativaque indole praeprimis inclinaverit. Quod sane ex alia ratione explicare non poteris, quam imitationis studio, quo solo ferebantur Romani, quoque etiam contenti artem aliunde acceptam non tamquam institutum quoddam a patribus relictum, vel a semetipsis inventum, sed ut donum

prorsus alienum et exterum exercebant. Idem vero in Naevio quoque observabis; quippe qui, quum in Campania, Cumae, Neapoli, Capuae, Nolae graecae vidisset spectacula, ac prima fortasse in iuventute Homeri carmina legisset, deinde Romam profectus hac in urbe Atellanas e patria allatas fabulas satirasque tractatas spectasset, omnia horum carminum genera plane inter se diversa, pro fervido et poetico, quo erat ingenio tractare studeret. Scripsit enim Naevius comoedias plurimas, quarum fere quadraginta titulos infra censebo, atque inter eas non solum palliatas, sed etiam (ut Clastidium cf. Varr. VII. p. 385. Sp.), tabernarias, et tragoedias, inter quas etiam praetextam, Romulum,[11]) censere possumus. Praeterea vero Satiram (cf. Fest. s. v.) et carmina epica forsitan duo scripsit: bellum punicum primum et Iliadum Cypriam (quae quidem plerisque nostro tempore post Naevii aetatem scripta esse videtur.)

De quibus omnibus eorumque fragmentis in nostra de Naevio commentatione sic disseruimus, ut prima parte de carmine epico, quo bellum punicum primum concelebravit, et de Iliada Cypria locuti simus, deinde vero in secunda dissertatiois parte, de comoediis, tragoediis et satira scripserimus. — Priusquam vero de carmine epico Naeviano largius disseramus, eiusque colligamus fragmenta iustumque in ordinem revocemus, de antiquissima Romanorum poesi epica, qualis fuerit ante Naevii aetatem, pauca praemittere nobis liceat. Quod in commentatione de Varrone Attacino Wüllnerus

---

11) cf. hac fab. Nap. Signorelli III. p. 21.. contra quem Lange. vindic. trag. rom. p. 14.

vir. cl., sese esse facturum promissit, verum adhuc, quod pro magna huius viri doctrina valde dolemus, nondum perfecit. Qua propter in re tam lubrica tamque obscura lectoris peto indulentiam, doctorumque virorum benevolentiam.

1.

De epicae poesis Romanae origine et ratione, qua fuerit ante Naevii aetatem.

Inter omnes gentes, de quarum antiquissima historia posteritatis memoriae quaedam sunt tradita, duo carminum genera tractata invenimus, quibus aut maiorum res gestae aut deorum gloria concelebrari solent. Quorum carminum, sicut est diversa eorum materia, etiam diversa est forma et species. Altera enim, quibis maiorum res gestae civitatumque fata decantantur, ea induta sunt forma, quam lyrico-epicam nominare possumus: nam res, quae gloriose sunt gestae, verbis rythmica quadam ratione instructis et poetico ornatis colore narrant, verum ita, ut non omnia, de quibus cantatur, vinculo quodam arcte et ingeniose nexa sint, sed ea potius ratione, ut singula singularibus inter se disiunctis carminibus, in historiarum similitudinem, concelebrantur. Qua re non eam habent speciem et naturam, quali sunt magna carmina epica, quorum exempla Homeri et epicorum carmina praebant, quaeque graeco vocabulo epopoias nominamus, sed potius singula sunt historiarum fragmenta; ornatu quodam poetico induta, quae si iis nomen praebere volumus, carmina historica, (geschichtliche Lieder, Heldenlieder) nominare possumus. Haec enim carmina sunt inter omnes populos omnis poesis primitiae, e quibus Epos et Drama, aliud alia

via nascitur: Epos, quod nominatur, singulis collectis inter sese vinculo quodam coniunctis fabulis et carminibus, **drama** singulis excultis atque explanatis cantibus. (Durch Entwicklung einzelner Momente).[12]) Altera vero huius poesis *αὐτοσχεδιαστικῆς* carmina ad deos deorumque cultum spectant, et plane diversa sunt forma et specie, quae quidem non eadem ubique inter omnes gentes est, sed ut ipsius cultus (religionis) natuJa inter diversas diversa. Plerumque vero in iis observabis formas quasdam et verba, quae paucis immutatis in omnibus repetuntur, et vetustate et sanctitate quadam sacrata sunt. Nam quum haec carmina ad deorum cultum spectant, id ubique in iis observatum invenies, quod ritum et caerimonias nomimamus: qua re totum hoc poesis genus **rituale** appellare possumus. De quo quum hoc loco non simus locuturi, ad alterum carminum genus, ad **carmina historica** animum advertamus.

Huius generis carmina ea potissimum aetate inter gentes existere solent, qua invenile, ut ita dicam, et fervidum eorum ingenium omnia quae in ore versantur populi poetico adspergit colore, et vivida animi vis nondum exstincta nec longuefacta est. Cuiusmodi igitur carmina aut eorum vestigia inter omnes fere gentes exstant: sicut inter Hebraeos compluria nobis sunt servata; inter Armenios multa fuisse Moses Chorenensis tradidit; nostrisque maioribus non defuisse multa comprobant testimonia: nam ea, quae dc Tuiscone aliis-

---

12) cf. de tota haec materia Fauriel. Origine de l'épopée chevaleresque du moyen age; in: Revue des deux mondes. Par. 1832. Vol. 7. 8. F. Th. Welcker's Epischer Kyklus. Rhein. Museum. 1834. 1. Supl. p. 123.

que herois, de Gothorum e Scandinavia in Germaniam transitu, quaeque de Carolo Magno et Rolando fabulosis in carminibus canebantur, carmina fuere, quae in ore populi nata erant, usque dum postera aetate a poetis certa quadam forma induerentur[13]). Nostra vero aetate, qualis sit huiusmodi carminum natura et forma iis intelleximus carminibus, quae inter gentes adhuc fere barbaras iam tractata atque exculta videmus, ut carminibus Servorum, Montenegrinorum, Scotarum aliorumque populorum.

Mirum igitur nobis possit videri, si inter Romanos hoc poesis genus omnino neglectum esset, nec ulla

---

13) In den Heldenliedern der verschiedenen Völker zeigt sich ein Hauptunterschied, eine große Stufe, eine doppelte Art der Entwicklung. Auf der einen kleinere, einzeln stehende Lieder, worin die Poesie sich herrlich und reich entfalten, und schon ein bedeutendes Gepräge epischer Kunst hervortreten kann, wie wir an den serbischen Volksliedern, den Liedern vom Kämpe Viser sehen; auf der andern ein zusammengesetztes und geordnetes größeres Ganze; worin im Fortschritt eine ganz neue Kunst des Planes, der Einheit, der Verhältnisse und Bezüge der Theile erwächs't, und zuletzt die Idee eintreten kann, mit einer allen Stoff, allen Eindruck und alle Kunst der Gestaltung und Darstellung überwiegenden Kraft und Thätigkeit. Von diesen Naturgesetzen des Epos, nach Ausdehnung und Zusammenhang zu streben, sind bedeutende Erzeugnisse im Angelsächsischen, Gälischen, Deutschen und Skandinavischen abhängig, und ganz neuerlich ist das Walten desselben in verschiedenen andern Kreisen, unter den französischen Sängern der Karolingischen Sage und der von Arthur und in dem Thierepos auf sehr lehreiche Art kund geworden
cf. F. Th. Welker'sEpische Kyklus l. l. Fauriel l. l. Uhland's Studien über das altfranzösische Epos in den Musen. 1818. Quart 3. S. 59.

restarent eius vestigia. Nam eorum quae quam maxime ad artem poeticam animum impellunt, nihil defuit Romanis: coeli hilaritas et amoena natura, regionis, quam incolebant, et fertilitas et pulcra species, animi deinde atque ingenii fervida vis, ac magnae gloriosaeque maiorum res gestae. Quibus rebus commotus Niebuhrius primus omnium divino quo erat ingenio vestigia horum carminum etiam inter Romanos inquirere studens id, quod ante eum ne ipsi quidem Romani suspicati erant, mira quadam doctrina in Livii et veterum scriptorum libros observavit. Verum, ut fieri solet, nimio fere amore amplexus est, quod ipsius ingenio quasi denuo natum erat, et id, quod tanta doctrinae copia tantaque diligentia investigaverat, ut opera esset dignissimum, nimium efferre studuit atque exornavit. Nihil vero hac ex caussa viri divini gloriae detrahi potest: nam haec est sors et natura humanae gentis, ut quisque sua et pater plerumque natos nimio amore amplectatur. Multo autem facilius est, iam observata ab aliis rectius diiudicare, quam adhuc obtecta, in lucem protrahere. Qua re ne quis arrogantiae nos accuset, quippe qui aliud ac vir iste clarissimus de his carminibus statuere conati simus, quum praecipue iam alii, iique viri gravissimi[14]) eadem in via nobis progressi sint.

---

14) Fr. Lachmann comment. de font. Liv. I. §. 11. W. Wachsmuts. ält. Röm. Gesch. p. 19 spq. A. W. Schlegel. Heidelb. Jahrb. d. Litt. 1816. II. p. 837—842. Hegel. Encyclop. der philos. Wissenschaften. §. 549. p. 492 ed. II. Madwig. opus p. II. Ulrici Char. der antik. Historiographie. p. 100—105. Beck. Epicrisis quaest. de Hist. R. antiquiss. font. Lips. 1820. Blum et cett.

In ipsa hac re diiudicanda eam observavimus rationem, ut primo ipsa Niebuhrii argumenta quae externa possunt vocari, quaeque in testimoniis vett. scriptorum sita sunt, adversemur: deinde ex rei ipsius natura, ex caussis, quas internas possumus appellare, nostram de hac poesi Romanorum epica antiquissima opinionem comprobemus. Niebuhrii sententia quum tribus praecipue, Dionysii, Ciceronis, Nonnii locis ei firmata videretur, iam ipsa horum scriptorum verba accuratius enarremus, ut de eorum auctoritate rectius possimus diiudicare. Primum igitur Dioysii verba inquiramus. Qui H. R. I. 76. e Fabio Pictore de Romulo et Remo haec nobis tradidit: *Οἱ δὲ ἀνδρωθέντες γίνονται κατὰ τὴν ἀξίωσιν μορφῆς καὶ φρονήματος ὄγκον ὀυ συοφόρβοις καὶ βουκόλοις ἐοικότες, ἀλλ' ὅιους ἄν τις ἀξιώσειε τοὺς ἐκ βασιλέιου τε φύντας γένους καὶ ἀπὸ δαιμόνων σπορχαῖς γενέσθαι νομιζομένους ὡς ἐν τοῖς πατρίοις ὕμνοις ἀπὸ Ρωμάιων ἔτι καὶ νῦν ᾄδεται.*

Quibus verbis accurate perspectis et perpensis, etsi carmina quaedam de Romulo et Remo Fabii aetate affuisse non est infitiandum, tamen id quod Niebuhrius voluit eruere, omnino mihi non videtur in iis apparere. Nam de tota fabula troica, in Latium translocata, de qua vir ille clarissimus haec esse dicta voluit, nihil iis inest, nec aliud quoddam ea carmina, de quibus i. l. Dionysius loquitur, fuisse puto, nisi cantus quosdam, forsitan sacerdotales, quibus Romuli et Remi memoria, qui inter deos erant relati, pie a Romanis colebatur. Id vocabulum quoque *ὕμνος* significat, nec dubito, quin Dionysius, si epica carmina spectasset, vocabulo *ἔπος*, *ἔπη* usus fuisset.

Secundus locus, quem Niebuhrius ut suae opinionis argumentum prodidit, est apud Cic. Tusc. I. 2., cui addi

possunt Ciceronis verba in Tusc. IV. 2. Brut. 18. 19. et Non. s. v. Assa: nam omnia idem plane significant atque uno ex fonte, Catonis originibus, profecta mihi videntur.[15])

Omnia vero horum scriptorum verba ad carmina spectant inter epulas cantata, nec iis de poesi quadam populari, cui epica fuit natura, mentio quaedam inest. Qua re illa carmina nihil nisi hilares quidam cantus inter epulas celebrati, nec epica carmina mihi fuisse videntur, quod etiam non solum ex tota ratione, qua proferebantur, sed etiam ipsius Ciceronis et Quintiliani verbis comprobare possumus. Cicero enim, si illa carmina maioris ambitus fuissent, non addidisset (Tusc. I. 2.) »huic generi non honorem fuisse«. Quintilianus vero I. O. I. c. 10 §. 19. 20. haec carmina comparat cum Graecis carminibus, quae scholia vocantur. Eius enim haec sunt verba: »Unde etiam (apud Graecos) ille mos, ut in conviviis post coenam circumferretur

---

15) Cic. Tusc. I. 2. Sero igitur a nostris poetae vel cogniti vel recepti. Quamquam est in Originibus, solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum virorum virtutibus; honorem tamen huic generi non fuisse declarat oratio Catonis. Tusc. IV. 2. Nam cum carminibus soliti illi (Pythagorii) esse dicantur, et praecepta quaedam occultius tradere, et mentes suas a cognitionum intentione cantu fidibusque ad tranquillitatem traducere, gravissimus auctor in Originibus dixit Cato, morem apud maiores hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibias clarorum virorum laudes et virtutes. Non. s. v. Assa voce a Varronis de vita Pop. R. libr. II.: In conviviis pueri modesti ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant maiorum, et assa voce et cum tibicine. Adde Val. Max. II. 1. 10.

lyra, cuius se imperitum Themistocles professus esset, ut verbis ciceronis utar, habitus est indoctior. Sed veterum quoque Romanorum epulis fides et tibias adhibere moris fuit.

De Nonii verbis, quae ex Varrone protulit, iam nihil mihi dicendum est, quum eadem ratione ac Ciceronis nobis sint interpretanda. Idem valet de Valerio Maximo.

Qua re ea argumenta, quae ex scriptoribus vett. Niebuhrius protulit, ad suam comprobandam opinionem, ipsorum veterum scriptorum auctoritate labefacta corruunt; nam ex omnibus illis argumentis nihil aliud apparet, atque id, quod inter Romanos quoque, sicut inter Germanos (cf. Tac. Arn. II. 58. Germ. 2. 3) et inter omnes populos, quorum fervidum est et iuvenile ingenium, res maiorum exhilarata mente cantibus quibusdam concelebratae sint, quibus inter epulas dulcis praeteriti temporis memoria revocabatur. Jam igitur ad ea argumenta, quae interna nominavimus, progrediamur.

Si ista poesis popularis adeo iam eo tempore exculta erat, ut carmina maioris ambitus, sicut carmen de L. Tarquinio Prico et Serv. Tullio[16]) in ore populi circumferrentur, profecto maiori auctoritate eam fruitam esse nobis putandum esset, et certo pluria eius vestigia exstarent, quam sola carminum in epulis decantatorum mnmoria. Deinde ars tantopere iam exculta atque explanata etiam totius populi animos et ingenio commoveat et permoveat necesse est, ita ut in ipso populo poetae existant, qui carmina illa popularia maiori arte tractent veramque epicam prodant poesim. Huc

---

16) cf. Nieb. R. G. I. p. 394 et 566.

alterum accedit idque argumentum gravissimum, quod eo tempore, quo in mediis belli punici fluctibus poesis prima stramina et semina iecit, poetae non illam poesim popularem, nec res patriae et vetustae menoriae amplectentes tractarent, sed bella ipsa, quibus intererant, res Romanorum eo tempore gestas. Si vero Naevius et Ennius iam vetusta carmina tantae copiae tantique ambitus, quanti Niebuhrius putavit, quin etiam a Romanis in epulis cantitata et recitata invenissent, si materia iis affuissent ex vetustate servata et quadam ratione iam exculta et poesi digna, sane nulla iis fuisse caussa, ut materium tam ieiunam et prosaicam primo tractandam sibi sumserint.

Nostra igitur, ut ad propositam commentationem revertamur, haec est de hac poesi opinio. Fuerunt sane iam antiquissimo tempore, priusquam Graecae artes atque litterae Romam pervenerunt, inter ipsos Romanos carmina multa, quibus maiorum facta et reipublicae fata concelebrabantur. Hoc enim Romuli, Tarquinii, Horiatiorum, Cariolani aliaeque comprobant historiae, quas ea, qua nobis sunt a Livio et Dionysio relatae forma ac specie neque ex ieiunis pontificum commentariis, neque aliis ex monumentis, sed ex ore tantum populi, in quo vivae ferebantur, haurire potuerunt. Verum enim vero non magna arte fuerunt composita, neque, quod Niebuhrius putavit, *ἐποποιαι*, sicut Homeri carmina, nec cycli, qui vocantur, epici certis quibusdam finibus circumscripti. Sed simpliciter fuisse mihi videntur convivarum cantus, qui exhilarata mente curisque omnibus solutis hisce genii ludis sese committebant, maiorumque facta virtutesque ad maiorem generis ipsorum splendorem in memoriam suaviter revoca-

bant. Veram autem et propriam eorum naturam et formam describere res plena est difficultatis; quin, quum nulla exstent eorum fragmenta, omnino fieri non potest. Hoc vero ex analogia[17]) optima in hac re

17) Die Heldenlieder tragen jedoch nach der Natur des Landes, wo sie erwachsen, und dem Charakter des Volkes, aus dem sie geboren sind, einen verschiedenen Charakter. Während die ältesten griechischen Heldenlieder und lokalen Volksdichtungen, welche wir aus der aus ihnen hervorgegangenen epischen Poesie erkennen, das Plastisch-Wunderbare, um mich so auszudrücken, darstellen, eine klar anschauliche Götterwelt, mit der Menschen- und Natur-Welt zu einem großen harmonischen Ganzen verbunden, worin Alles mit scharfen Umrissen gezeichnet ist, erscheint in den germanischen Liedern —skandinavischen sowohl als deutschen, ja auch in den gälischen und serbischen mehr das Mystisch-Wunderbare, welches, wie Ossians Nebel der Haide alle Sagen in romantischen Schleier hüllet; in den römischen dagegen das Historisch-Wunderbare. In den Liedern der Tarquienier, Valerier, des Kampfes am See Regillus, in den Gesängen von Servius, Coriolan u. a. ist das historische Element nur erhoben ins Wunderbar-Historische, ohne einerseits das rein historische Gewand zu verlieren, und anderseits das rein mythische anzulegen. Der Römer in seinem vorwaltend praktischen Sinne suchte das Historisch-Glaubwürdige zu erhalten, ohne deßhalb die poetische Erhöhung zu verschmähen, während in die griechischen Sagen und Lieder — wenn gleich natürlich eine gewisse historische Grundlage da war — erst die reflektirende alexandrinische Zeit deutelnd und symbolisirend das Historische hinein zu konstriren suchte. Es sind deßhalb in den ältesten röm. Gesängen uns weit mehr historische Elemente erhalten, als daß man sagen könnte, sie (also Livius und Dionysius älteste Geschichte) seien als mythische Gesänge zu verwerfen; oder höchstens von einem Historiker zu betrachten und zu behandeln, wie die Gesänge der Ilias; sondern sie sind nur eine äußerlich poetisirte Geschichte.

Wir gehen deßhalb in den römischen Liedern und Sagen immer auf historischem Boden, während die griechischen Gesänge sich nur

magistra, colligere possumus, ea oratione fuisse vividiore, maximeque sensibili, numeris adstricta, necdum arte limita, sed subita et fortuita ac naturae ipsius velut sponte prodita, animique valde commoti interpretes. — Qua re (quod ad metrum pertinet) Niebuhrio non omnino dissentio, qui ea variis metrorum modis cantata esse putaverit. (cf. Nieb. R. G. I. 267.)

Quinto demum saeculo p. u. c. quum graecae artes et litterae antiqua omnia vereque Romana opprimerent, evanuisse videntur. Quantum quidque eorum Ciceronis tempore exstiterit, apparet ex Bruto c. 19. §, 75. »Atque utinam exstarent illa carmina, quae multis saeculis ante suam aetatem in epulis esse cantitata et cett. in originibus scriptum reliquit Cato.« Neque Quin-

---

hier und dort auf historischen Grundpfeilern stützen, welche sparsam hingestellt den kühnen Bau der griechischen Sage tragen, und ihm deßhalb einen um so lichteren Anblick gewähren. Diese Verschiedenheit von dem griechischen Mythos, und diese Eigenthümlichkeit des römischen haben schon die Alten erkannt: so sagt Tac. ann. II. 88. von den Römern: qui vetera tollimus, und Liv. in proem.: Datur haec venia antiquitati, ut miscendo humana divinis, primordia urbium augustiora faciat. — Diese Eigenthümlichkeit würde auch dem römischen Epos, wenn es sich national aus dem vorhandenen Stoff der Sage entwickelt hätte, eine ganz andere Gestalt, als die griechische gegeben haben; indem es ein rein historisches Epos hätte geben müssen, wie wir solches wirklich schon in den annalistischen Anfängen des Naevius und Ennius begonnen finden. — Das Virgilische Epos konnte daher national sich nie auf römischem Boden entfalten, sondern war in seiner Gestalt und seinem Gehalt nur eine Folge des Triumphes der griechischen Kunst und Poesie in Rom; wie sehr auch Virgil sich bemühte, durch mancherlei Kunstgriffe demselben ein historisches und nationales Gewand zu geben.

tiliano (cf. instit. orat. X. 2. 7.) quiddam carminum notum fuisse videtur. —

Cognata huic carminum generi et quadam ex ratione etiam ad epicam poesim spectantia fuerunt carmina, quae Naeniae nominantur: de quibus Niebuhrius putavit, ea non flebiles modos, sicut Graecorum θρῆνοι, sed carmina quaedam fuisse, quibus mortuorum laudes decantarentur.

Qua re, ut iusta de iis ratione diiudicare possimus, omnia veterum scriptorum argumenta, quae aut spectant ad ea, aut spectare videntur, hac paragrapho congessi, remque paulo fusius tractavi. Gravissimus nobis auctor est Nonnius, quippe qui e Varrone sua omnia de hac re sumpserit. Cuius sunt verba haec: s. v. Naenia. Naenia inneptum et inconditum carmen, quod adducta pretio mulier, quae praefica diceretur, iis, quibus propinqui non essent mortuis, exhiberet. — Varr. d. vit. P. P. IV.: Ibi a muliere, quae optima voce esset, perquam laudari, deinde Naeniam cantare solitam ad tibias et fides. Non s. v. Praefica: Praeficae dicebantur apud veteres, quae adhiberi solent funeri mercedi conductae, ut et flerent et fortia facta laudarent. Non s. v. siticines: Liticines et Siticines a lituo, ut tubicines a tuba, ita siticines, qui apud funeratos et sepultos i. e. sitos canere soliti erant honoris caussa; cantus lamentabiles.«

Eiusdem moris Cicero de legg. II. 44 mentionem fecit: Honoratorum virorum laudes in concione memorantor, eosque (sic cum A. W. Schlegelio lego pro easque) etiam cantus ad tibicinem prosequitor, cui nomen Naeniae. Cui addendum est Tac. ann. III. 5. »Ubi illa veterum instituta? propositam toro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina et laudationes et

lacrimas vel doloris imitamenta?« Praeterea cf. Dionys. Hal. VI. 9. V. p. 291 ed. Sylb. Quint. J. O. VIII. 2. §. 8. Suet. Aug. 100. Horat. od. II. 20.

Quibus omnibus ex locis inter sese comparatis id apparet: fuisse sane carmina quaedam in laudem mortuorum instituta, quae Naeniae nominabantur. At duo fuisse horum carminum genera, altera inepta atque incomposita, a mulieribus mercede conductis (praeficis) recitata, rythmicis quibusdam modis impleta (nam ad tibias assa voce contabantur,) forsitan in quemque mortuum plane eadem, quae more erant et consuetudine constituta atque vetusta ex antiquitate tradita.

Altera vero magis iam compta atque composita, cantus et modos flebiles a propinquis in funere recitatos: quae, si iis non rythmica inerat oratio, laudationes funebres nominabantur.[18])

Tertium deinde genus Naeniarum erat, cuius Horatius hic verbis fecit mentionem:

»Roscia dic sodes melior lex an puerorum Naenia,
quae regnum recte facientibus offert.«

Fuerunt haec carmina cantus pueriles et ludicri, qualis illud de creando rege:

Si recte facies, eris rex;

quae forsitan ea ex caussa Naeniae sunt nominata, quod pueri ea in praeficarum similitudinem assa voce ad tibias canebant.

---

18) De laudationibus fun. cf. Dionys. v. p. 291. Liv. V. 50. Cic. d. oratore II. II. Gell. N. A. XIII. 19. Cic. Brut. 16. Liv. VIII. 40. Suet. Aug. c. 16. Quint. XII. 6.

2.

Vides igitur, qualia fuerint antiquissimae epicae poesis inter Romanos prima stamina, priusquam naturalis eius decursus externa arte atque graecis litteris deflecteretur, imaginemque fere eandem observabis, qua inter Graecos sensim et per multa saecula ad summam artium praestantiam ingenia provecta sunt.

Qua propter re vera cum Niebuhrio dolebis, quod, quum tot et tam pulcra adessent fundamenta, ex populi ipsius ingenio vere romana ac latina poesis fato rei publicae romanae non sit nata, atque absque omni externae gentis arte sensim inter Romanos sit exculta. Id enim non est dubitandum, quin ex ista prima origine, etsi rudia fuerint et billicosa Romanorum ingenia, in terra tam amoena, sub coelo tam iucundo et in civitate tam gioriosa et mobili sensim poesis quoddam genus effloruerit, quod Romanis proprium eorum virtute, severitate, pietate plane aliam induisset formam, ac nunc eam expressam videmus. Quam igitur docto acumine A. Guil. Schlegel, sibi vere romanae tragoediae finxit speciem, ei simillima imago epicae artis vere romanae nostro animo obversatur: „Mir schwebt das Ideal einer ursprünglich römischen Tragödie vor, dunkel zwar, im Hintergrunde der Zeiten, wie man ein Wesen erkennen mag, das aus dem Schooße des Möglichen nie zur Wirklichkeit geboren wurde. Sie hätte von der griechischen an Bedeutung und Gestalt durchaus verschieden, und im altrömischen Sinne religiös und patriotisch sein müssen. Alle wahrhaft schöpferische Poesie kann nur aus dem innern Leben eines Volkes, und aus der Wurzel dieses Lebens, der Religion hervorgehen. Der Geist der römischen Reiligion war ursprünglich, ehe sie nach Einbuße des Gehalts die Oberfläche nach fremder Sitte ausschmückten, ein ganz anderer, als

der Geist der griechischen. Diese war künstlerisch bildsam, jene priesterlich unwandelbar. Der römische Glaube und die darauf begründeten Gebräuche waren ernster, sittlicher, frommer, naturdurchschauender, magischer und geheimnißvoller, als wenigstens der Theil der griechischen Religion, welcher außerhalb der Mysterien lag. Wie die griechische Tragödie den Kampf des freien Menschen mit dem Schicksal darstellt, so hätte der Sinn einer römischen die Unterwerfung der menschlichen Triebe unter die heiligende, bindende Gewalt, religio, und deren offenbarte Allgegenwart in allen irdischen Dingen sein müssen." cf. Vorl. über dram. Kunst. II. 20. quibus admodum consentit Creuzerus Symb. III. 995. — Pro graecis enim argumentis plane diversa ex patriae historia, populique romani μύθῳ in carmina epica recepta ac tractata mihi fingo, ut Remi Romulique alimonia, de quibus pulcerrimae adhuc exstant et diversissimae fabulae, Horatiorum et Curiatiorum cartamen, nefandam Lucretiae mortem, aut heroum pugnam ad lacum Regillensem commissam.

Sola Graecarum litterarum summa praestantia nos desolari potest, ne nimium huius vere romanae poesis desiderium nos occupet.

8.

Jam igitur ad eam litterarum latinarum aetatem progrediamur, qua Graecis in vestigiis poetae Romani et epici et dramatici incedebant, ex qua fere iusta ratione et Romani et nostrates poesim latinam primum initium cepisse statuunt. Nam domesticae poesis initia, de quibus adhuc locuti sumus, quum Graecas artes laetiores Romani vidissent, et Musa graeca pinnato gradu se bellicosam in Romuli gentem intulisset (cf. Gell. XXXII. 21), non solum neglecta sunt, sed magno

fortasse litterarum detrimento prorsus interierunt, ita ut ne vestigia quidem eorum postera aetate existerent. Verum nisi iam paratos quodammodo et pronos in poesim animos Romani habuissent, non licuisset extraneo homini adventiciam musam statim in publicum prodere, et vulgi oculis auribusque proponere, nec nisi iam dudum ante Livii aetatem Graecae fabulae Romae notae fuissent, eas quodam cum successu in scenam Romanam proferre, aut graecum argumentum in linguam latinam transferre potuisset.

In epica poesi, quae est diversa ab illa populari poesi epica, de qua adhuc locuti sumus, primae novae artis initia poetae romani eo ceperunt, ut res Graecas vertere tentarent.

»Tentavit quoque, rem si digne vertere posset.« Hor. epp. II. 1. 259.

Primum huiusmodi carmen, de quo memoria et quaedam fragmenta exstant, est carmen Nelii, quod ut antiquius Livii Odyssea et Naevii bello punico putem non solum verborum nimia vetustate, sed ea quoque adducor caussa, quod in Festo, a quo nobis s. v. numero, stuprum, topper eius fragmenta reservata sunt, ubique ante Appii, Naevii aut Livii versus inter antiquissima romanae poesis fragmenta, ut inter carmina Saliaria, refertur. Hoc Charisius p. 65 ed. Putschii — quoque significare mihi videtur, qui, quum antea Livii carmen antiquissimum nominasset, tunc hoc priscum nominaret; nec Hermanno possum consentire, qui hoc loco commotus, Livio Andronico carmen Nelii posterius esse putaverit.

A quo factum sit, aut quid argumenti habuerit, a nullo scriptore vetere adnotatum inveni. Verum a Neleo, patre Nestori ductam appellationem, atque e cy-

clico Graecorum quodam carmine in linguam latinam translatum esse coniici licet. — Fragmenta vid. apud Herm. elem. p. 639. et C. O. Müll. in adnott. ad Fest. p. 314. —

Simillimum huic carmini atque antiquissimum Priami carmen videtur, cuius Varro de l. l. p. 314 Sp. hunc versum praebet:

»Veterés Casménas cáscas || rés voló profárier
Et Priamum.«

Attii vero nomen, cui multis libris editis hic versus tribuitur, a correctore quodam, ut saepissime factum est, in hoc Varroris loco interpolatum est: nam codd. optimi, Havn. Florent. Sciopp. id. omiserunt. Quod H. Düntzerus in libro de versu, quem vocant, Saturnio, p. 59. suspicatus est, hunc versum Naevio esse tribuendum, et Varronis locum corruptum sic esse restituendum: pro: »in carm. Priami apud Attium« — »in carmine belli poenici apud Naevium,« ea ex causa non possum comprobare, quod Naevii carmen de bello punico a nullo scriptore carmen nominatur, sed si fragmentum quoddam addunt, dicere solent sic fere: Naevius in bello punico, aut Naevius in belli punici libr. I. Huc accedit, quod codd. optimi hanc lectionem praebent: »In carmine Priami et At.« — Tertium carmen epicum, e Graeca lingua translatum, fuit Livii Andronici Odyssea, de quo, quum iam alibi eius fragmenta collecta atque illustrata invenies, Ciceronem Statuis Daedali fuisse simillimum dixisse hoc loco addidisse sufficiat.

III.

Vides igitur, neminem usque ad id tempus res romanas et domestica argumenta tractare ausum esse,

nam tam presse Graecorum vestigia sequebantur, ut proprium quoddam suo ipsius ingenio fingere prima poesis aetate non conarentur. Quam viam omnium primus reliquit Naevius, qui non solum in fabulis dramaticis, ut in Praetexta, Romulo, atque in Clastidio, [tabernaria, romanas res tractare, sed etiam epico carmine antiquissima reipublicae tempora et gloriosum illud bellum punicum concelebrare studeret. Quid enim mirum est, quod punica aetas primum protulerit poetam, qui romanae rei publicae gloriam carmine efferre studeret, si magnitudinem belli apud animum reputaveris? Ita enim Polybius dicit, ipse belli ratione ad scribendum incitatus: *Οὔτε γὰρ πολυχρονώτερον τόυτου πόλεμον εὑρεῖν ῥᾴδιον, ὀύτε παρασκευὰς ὁλοσχεστέρας, ὄυτε συνεχεστέρας πράξεις, ὄυτε πλείους ἀγωνας, ὄυτε περιπατέιας μέιζους, τῶν ἐν τῶ προειρημένῳ πολέμῳ συμβάντων ἑκατέραις. αὐτά τε τὰ πολιτέυματα κατ᾽ ἐκέινους τοὺς χρόνους ἀκμὴν ἀκέραια μὲν ἦν τοῖς ἐθισμοῖς, μέτρια δὲ ταῖς τύχαις, πάρισα δὲ ταῖς δυνάμεσιν.* cf. libr. I. c. 13.

Quid mirum, quod inter tot magnanimos viros, quorum unica vox erat *ἢ νικᾶν ἢ θνήσκειν* (cf. Polyb. VI. 58), poeta existeret, qui eorum facta carmine concelebraret!

2.

Carminis historia, quae vocatur, litteraria.

Carmen vero ita instituit Naevius, ut eius initio urbis Romae et Carthaginis primordia caneret, deinde, omnibus omissis, quae post urbem conditam usque ad bellum punicum primum gesta erant, hoc bellum ipsum concelebraret. Totum carmen unico volumine, nec libris

distinctum et continente scriptura, sicut mos erat Romanorum, expositum Caius Octavius Lampadio, libertinus Graecus, in septem libros divisit teste Suet. de ill. gramm. c. 2. Qua re L. Lerschius in l. l. versus Naevii ab Octavio primo distinctos et divisos esse putat, ita ut versuum forma, quam posteriores grammatici exhibuerint, non genuina Naevii, sed Octavii arbitrio constituta sit. Verum enim vero in hac re diiudicanda ad eam Romanorum scribendi rationem respiciendum mihi videtur, qua non singulis lineis singulos quoque versus finirent, sed ut factum observavimus in Scipionum monumentis versiculos lineis interpositis distinguerent. Praeter Lampadionem Naevium commentati sunt Cornelius et Virgilius, grammatici veteres, qui ante Ter. Varronem vixerunt. cf. Varro de l. l. VII. p. 325 Sp. Qui fuerint Cornelius et Virgilius, grammatici, nescimus. cf. Meyer. in »Zeitschrift für Alterthumswissenschaft. 1836 p. 367 sq.

Attamen Spengelio non consentio, qui hanc ob caussam, pro »Cornelius« nomen grammatici magis noti: »C. Aelii,« substituerit. Nam non solum hoc loco, sed etiam duobus aliis in locis p. 148 et p. 150 Sp. codd. optimi, Florent. Havn. et Paris. a et b. Cornelii aut Cornelii nomen praebent, quare cum C. O. Müllero hoc in Varronis librum recipiendum esse arbitror.

Ciceronis aetate inter carmina magis vetustate, quam arte insignia relatum esse videtur, nam in Brut. 19. id non polite quidem, sed tamen luculente scriptum esse, et quasi Myronis opus delectare dixit. — Augusti vero aetate ab iis, qui sicut Asinius Pollio magno amore antiquam Romanorum poesim amplectebantur, multo acriori studio tractatum esse Horatii verba comprobant:

»Naevius in manibus nunc[19]) est, in mentibus haeret
Paene recens? Adeo sanctum est vetus omne poema,"

Notat enim acerbitate quadam antiquae poesis sectatores, quippe qui nimio amore vetusta quaeque amplecterentur, recentiora omnia negligerent. — Post Augusti aetatem saepius a scriptoribus carmen Naevii de bello punico laudatur, ut a Suetonio l. l., ab Aul. Gellio, et ineunte post Christum saeculo secundo a Terent. Mauro de metr. p. 24. 39, tertio saeculo a Censorino de metr. p. 2727; deinceps a Donato, Servio, Virgilii interprete, Mario Victorino de arte Gramm. III. p. 2587. Atil. Fortunatio p. 2690—98, Plotio de metr. p. 2650. Diomed. III. p. 512 ed. P., ac sexto saeculo ab Isidore Sevill. — Quin opus integrum saeculo forte decimo tertio exstitit, teste Cramero in Haus-Chronik p. 223. Deinde vero in magno litterarum naufragio omnino periisse videtur. Nam ad nostram usque aetatem nihil nisi fragmenta quaedam satis obscura pervenerunt, quae primus omnium P. Merula in comment. ad Ennii libr. I. p. XLII—LIIII et XCI—XCIII et in comment. ad libr. VII tractavit. Deinde H. Stephanus in coll. fragment. lat. poet, multa nec omnia, eaque valde corrupta exhibuit; quem secutus J. G. Vossius in collect. velt. trag. Seriverii p. 77 sese fragmenta etiam belli punici editurum esse promisit, sed, quod pro magno eius ingenio valde dolemus, rem omisit. — Nostra aetate Hermannus in element. metr. p. 629—638 plurima emendata ad Saturnii metri leges revocavit. Denique E. Spangenberg. in l. l. p. 186—205 et L. Lerschius et Henr. Düntzerus in l. l. p. 49—58 ea collegerunt.

---

19) (nunc pro „non" hoc loco omnino legendum puto.)

3.

Naevii carmen erat poema historicum.

Vossius de Hist. lat. I. c. 2. et Naevium et Ennium inter historicos ccnset, nec nostra quidem ex sententia, sine iusta quadam caussa. Nam re vera uterque in materie tractanda historicam potius quam poeticam rationem secutus esse videtur. De Ennio iam Cicero ita diiudicavit, ut eum inter historicos referret. cf. Merula p. V. et XIII. De Naevio vero, etsi apertis verbis id non edixit, tamen idem diiudicasse videtur; si quidem iusta ratione haec eius verba interpretamur: »Sit Ennius sane ut certe est perfectior (Naevio), qui si illum, ut simulat, contemneret, non omnia bella persequens primum illud punicum acerrimum bellum reliquisset.« cf. Brut. c. 19. Nam si Naevius bellum illud historica ratione, ita ut simpliciter ad annorum seriem res gestas narraret, tractasset, iusta fuit Ennio eius omittendi caussa: si vero Naevius poetica arte et implicata poesis epica ratione id celebrasset, cuius natura est, ut non in materie sola, sed in genere eius tractandae summum vereque quod nominatur poeticum sit sita, omnino nulla fuit caussa, qua commotus Ennius ab isto connatu desisteret. Nulla, ut exemplum praebeam, graecis poetis caussa fuit, cur iterum atque iterum tractarent fabulam thebanam, toties iam in scenam productam, epicisque carminibus celebratam. Huc accedit alterum idque gravissimum argumentum quo Naevium annales potius versibus adstrictos, quam carmen epicum scripsisse apparet. Nam quomodo fieri potuit, ut Naevius illud bellum, cui ipse intererat, cuius viva adhuc inter Romanos exstabat memoria, sibi materiem carminis epici sumserit, idque vere poetico ornatu atque

poetica ratione concelebraret et exornaret? Constat enim inter omnes, qui de poesi epica eiusque natura paullo accuratius animo statuerunt, res praesentis temporis neque apta neque accommodata esse, de quibus carmen epicum pangi possit. Nam rei, quae describatur, nuda veritate ante omnium oculos versante ingeniosa, quae nova prodit, poetae sollertia impeditur et vincitur. Ipsis vero Romanis, quibus summum erat, magna agere facinora, si quis bellum, cui ipsi intererant, poetica ratione tractare atque atque exornare studuisset, certo hic conatus puerilis ingenii lusus, quin detestabilis visus esses, quippe quo vera facinora, poetico induta ornatu veritatis speciem amitterent. Denique vero ex ipsis fragmentis constat, Naevium non earmen epicum (ἐποποίιην) sed potius annales poeticos scripsisse: in quibus ea, quae ad fabulam troianam spectant atque ad prima et obscura reipublicae Romanae tempora quodam ornatu poetico induta invenies: in ceteris vero tanta est ieiunitas, ut potius pontificum annales exiles, quam carmina legere putes. Quid enim magis a poetica abhorret descriptione, quam ista vestatae insulae Melitae. (cf. fragm. XLI; quid magis in annalium similitudinem dictum, quam ea verba, quae ad pacem cum Carthaginiensibus compositam spectant. cf. fragm. Ex omnibus igitur, quae protuli argumentis apparet: Naevii carmen non poema epicum, sed potius annales ad certos metri numeros revocatos fuisse. (Reimchronik.)

Quaerere vero hoc loco quis possit, qui factum sit, ut veteres ubicunque et Ennii et Naevii carmen inter poemata retulerint. Cuius rei diversae eaeque iustissimae caussae adsunt. Primum enim multum carminum vetustati condonabant, omniaque, quae antiquissimo rei-

publicae tempore composita litterisque consignata erant, si rythmicus quidam verborum numerus iis inerat carmina nominabant. Cuiusmodi sunt e. gr. Appii carmen de moribus antiquissimum, cui ne metrum certum fuisse arbitror; oracula Marciorum, carmina Saliaria aliaque vetusta. Deinde veteres de poematis epici natura in universum aliam ac nos animi informaverant notionem: nam magis ad speciem formamque exsternam ad rythmum , numeros, metrum respexerunt, quam ad materiae inventionem, eiusque tractandae et componendae rationem. Denique inerant quaedam etiam Naeviano carmini, quae in similitudinem graecorum carminum epicorum inventa et tractata erant, ut fabulae de Aeneae in Italiam adventu, eiusque sorte ac morte.

4.

De carminis forma genuina.

Scriptum erat hoc Naevii carmen metro Saturnio, quod praeter posterioris aetatis grammaticos Fest. s. v. »Saturnio» comprobat: »Versus quoque antiquissimi, quibus Faunus fata cecinisse hominibus videtur, Saturnii appellantur, quibus et a Naevio bellum punicum primum scriptum est.« Idem Ennius comprobat versibus qui in Naevium spectant:

»Scripsere et alii rem
Versibus, quos olim Fauni vatesque canebant,
Quum neque Musarum scopulos quisquam superarat,
Nec dicti studiosus erat.« (cf. Cic. Brut. 1839. q. Orat. c. 21. Varro d. l. l. VI. p. 88. Bip. Serv. ad Virg. Georg. I. 11. Aur. Vict. de Gent. Rom. orig. c. 4.

Quibus de versibus, quum non solum inter veteres Grammaticos, magna fuerit dissensio, sed nostra aetate

plane diversa ratione diiudicatum sit, pauca disserere nobis consentaneum videtur, ut quisque quam in Naevii versibus constituendis rationem, quaeque metrorum principia secuti simus, non ignoret.

Sicut inter omnes gentes, quibus natura quasdam liberalioris et humanioris ingenii dotes praebuit, genus quoddam poesis epicae existere solet, quod absque omni arte externa tamen est omnis poesis fundamentum, et arti ipsi iam magis promotae aptissimam praebet et uberrimam materiem; ita in quoque populo quaedam est metrorum genuina et naturalis forma, qua poesis primitiae indutae esse solent. Haec vero forma metrorum diversa est secundum diversam cuiusque populi indolem et cuiusque linguae naturam. Inter Graecos, qui magis, quam alii naturalem ingeniorum et artium decursum secuti sunt, ab initio versus heroicus (hexameter) fuit haec metrorum forma primitiva; quippe quae graecae linguae indoli et naturae aptissima esset. Nam in ea numerus litterarum brevium multo superat numerum litterarum productarum. In lingua vero latina, in qua multo plus brevibus sunt syllabae productae, genuina forma metri, quae linguae erat maxime accomodata, trochaeus mihi fuisse videtur, eumque igitur in veterrimis poesis monumentis, etsi diversa in forma, communem metrum fuisse arbitror. Quum vero secundam naturam inter populum non arte politum, sed rudem, et solo ingenii impetu ad artem et poesim delatum non unica et certis quibusdam regulis constituta metrorum forma existere et praevalere possit; nobis etiam de metro trochaico, a Latinis in antiquissima poesi populariusitatumid est statuendum, eum fuisse generalem quidem et communem, sedin sese ipso diversam metram formam. Omnes vero versus hoc metro

compositos postera aetas, in qua graeca iam praeveluit ars, veteres, sive priscos, et quum Latinis essent proprii, proprie Italos i. e. Saturnios nominavit. Nam hoc vocabulum nihil aliud, ac priscum et proprie Italum ac Latinum significat.

Quare versus omnis generis, qui in antiquissimis litterarum latinarum monumentis praevalente metro trochaico inveniuntur Saturnios nominatos esse puto, etsi diversa inter se saepe fuerant forma. Verum est secundum naturam epicae poesis, ut in ea praevaleat certum quoddam atque unicum metrum, ideoque in latinis quoque carminibus, in Livii Odyssea, in carmine Priami et Naevii bello poenico iam hac ex caussa unum eundemque metrum valuisse nobis ex rei natura esset coniiciendum; quod re vera ipsis quoque comprobatur fragmentis. Hoc igitur metrum, propterea quod priscum erat et proprie Italicum, Grammatici, quippe quibus non alia monumenta exstarent, κατ᾽ ἐξοχὴν Saturnium nominavere. Sicut igitur de genuina versus Saturnii notione idem plane ac Düntzerus et Lerschius in libro de versu, quem vocant, Saturnio statuimus: eum fuisse variam, sed proprie Italicam versuum formam, ita dissentio iis, quippe qui ea ex caussa putaverint, etiam in Livii et Naevii Saturniis variam et non certam quandam exstare metrorum formam.

Versus igitur, quem Romani κατ᾽ ἐξοχὴν Saturnium nominabant, haec fuit forma primaria:

⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ || — ⏑ — ⏑ — ⏑.

Mirum est, et at naturam huius metri accuratius definiendam magni momenti, quod Grammatici omnes, (quorum recensum invenies apud Herm. elem. metr. p. 638 sqq. et in L. Lerschii et Düntzeri libello p. 4—26) duobus ex partibus hunc versum constare tradiderunt,

quarum alteram dimetron iambicum catalecticum, alteram dimetron trochaicon brachycatalecticum sive Ithyphallicum nominant. Qua re si hanc Gramm. rationem sequimur, versus evadit, in quo oppositi pedes iambi et trochaei coniuncti sunt, quod metrorum genus a Gramm. Graecis μετρὰ κατ' ἀντιπάθειαν μικτά nominatur. — Verum enim vero, quum trochaici et iambici versus unum communem numerum habere cum Hermano arbitrer, nec syzygias a veteribus Grammaticis introductas, sed numeros tantum in versibus respiciam, nullam plane unquam fuisse ἀντιπάθειαν, et huic quoque versui Saturnio trachaicum numerum inesse puto; ita ut prima syllaba sit anacrusis, quod ea quoque re valde comprobatur, quia saepius omnino supprimi potuit, et supressa est. — Itaque veram Saturnii rationem hanc esse arbitror, ut duo numeri trochaici sive quis versiculos dicere malit, cohareant quidem, unumque versum efficiant, sed vinculum illud laxius sit, et, si poetae lubeat, negligi possit verborum perpetuitas, quam συνάφειαν Graeci nominant. Qua re id efficitur, ut caesura in omnibus versibus saturniis eadem ubique sit post priorem versus partem, et syllaba, qua finitur haec prior versiculi pars, ex natura numeri anceps sit, nec hoc loco hiatus possit offendere — Eandem numeri rationem in multis trochaicis, iambicis, anapaesticis Comicorum latinorum observabis, quos versus vetus Graecorum Grammaticus (cf. Hefaestion. apud Herm. p. 590) asynartetos nominavit: e. g. Plaut. in Amphitr. I. 1. 35.

Qui multa Thebano poplo || acerba obiecit funera.

Quod vero ad singulos pedes, qui vocantur, pertinet, non repugnat legibus versus saturnii, sicut non repugnat legibus vers. trochaici, ut in iis dactylus pro trochaeo locum interdum habeat; in ultima tamen sede,

quae trochaeus ubique est, cum exclusum fuisse invenies. Spondeos vero rudis antiquitas ubique recepit.

Huc accedit altera quaedam licentia (Exempla huius licentiae vid. in add: p. 55 alibique.), quae partim arte eius temporis rudi, partim ex versus ipsius natura nata esse videtur. Saepe enim praecipue in prima ac penultima, excepta vero ultima sede, theses supprimebantur; quod doctissime in adnott. ad Fest. p. 312 C. O. Müllerus primus omnium vidit, et non solum in inscriptionibus, sed etiam in Livii et Naevii versibus saepissime factum esse observavi. Vides igitur, quanta sit huius versus et nostri, quem vocamus „Niebelungen Vers", intima similitudo, in qua non solum duo invenies metrorum membra, et sex arsas ubique observatas sed eandem licentiam, qua interdum pro trochaeis dactyli supponerentur, et theses, si poetae licuit, opprimerentur. (cf. Fr. v. der Hagen in prooemio p. XXVIII sqq. ad carmen, quod vocant: Niebelungen-Lied)

Ea enim est et versus Saturnii et nostri primaria ratio et conditio, ut sex arses in omnibus versibus observatas invenias; praeterea vero fere nulla subtilioris artis cura gereretur.

Veteres igitur Grammatici latini, prosodiae ignari, quum tantum viderent versus Saturnii varietatem, de primaria huius versus forma non eandem habuerant sententiam, sed etiamsi plurimi eam quam supra formam proposuimus, genuinam esse intelligerent, exempla quaedam huius versus finxerunt, quae formis, quas sese reperisse putabant, similia erant. Quod igitur ad nostram deturbandam rationem nil mihi valere videtur.

Liceat mihi hoc loco addere:

Exempla quaedam versuum Saturniorum, quibus ea, quam constitui, eorum forma et ratio comprobetur.

Antiquissimi versus Saturnii, qui ex vetustis Romanorum carminibus ad nostram usque aetatem sunt servati, in fratrum Arvalium carmine exstant, quod a Marinio Italo in libro de Monum. Arv. frat. tab. XLI. a. editum atque magna doctrinae copia illustratum est. Quod quum in eo versus omnes ter repetiti legantur, singulorumque versuum qui finis, quodque initium fuerit aperte ostendatur, ea ex caussa ad versuum naturam rationemque interpretandam omnium videtur aptissimum.

Enós Lasés iuváte!
Neve luérve mármar síns in || cúrrere ín pleóres
Satúr fufére Mars, limén salí sta bérber
Sémunís altérnei || ádvocápit cónctos!
Enós Lasés iuváte!
Triumpe, Triumpe, Triumpe! Triumpe, Triumpe, Triumpe!

Primus versus: „Enos, Lases iuvate", ter a fratribus repetitus, constat ex priore Saturnii versus parte, totique carmini, ut tamquam basis eius esset, praemissa est, qua re id vel maxime mihi comprobari videtur, versum Sat. antiquissimis temporibus duobus ex versiculis fuisse compositum. — In secundo et tertio versu nihil est, quod contra eam, quam constituimus, Saturnii versus formam ac rationem sit. In quarto vero versu primo pede thesis omissa ad deinde propter gravem huius versus caesuram hiatus admissus est.

(cf. Marini: Monumenti marmorei de fratrelli Arvali. 4. 1795. p. XLI. a. — Herm. elem. p. 613. Rud. Henr. Klaussen. de carm. fratr. Arv. Bonnae. 1836.) —

E carminibus quoque Saliaribus versus unus memoriae traditus est, qui quod primo videmus adspectu Saturnius est:

Divom émta cánte divom || dívo súpplicánte.

(cf. Varro de l. l. VI. 28. p. 314 Sp. — Pro deo,

quod praebent codd., quodque Hermannus iam et Grotefendius in »dio« mutaverunt, „divo" legendum conieci, quod et naturae totius versus (propter verborum alliterationem) valde accomodatum videatur. — De ceteris fragmentis e carminibus Sal. nobis conservatis, quum in verbo fere unoquoque coniectura multa mutanda ac sananda sint, nihil dicamus, ne in nimis lubrico campo progrediamur. Nam in tanta scripturarum et coniecturarum segete non difficile est, cuiusmodi metrorum genera constituere et veritatis quadam simulatione et specie defendere. Unum tantum prodi liceat, quippe quod incorruptum videatur fragmentum:

Pennás impénnatásque agnas.

(cf. Fest. s, v. Pennas.) —

Carmina autem Martiorum vatum (cf. Liv. XXV. 2. Marcrob. I. 17.) et oraculum a Pythia relatum (cf. Liv. V. 16), quum iam a Livio, ut ex sermonis forma et natura videmus, plane immutata sint, neque in hexametros neque in Saturnios versus redigere audeo. At Saturnios multo facilius evadere, quam aliud quoddam metrorum genus Hermannus in elem. p. 617 et Grotefendius comprobant, qui in Saturnios versus haec oracula redegerunt. — cf. Nieb. R. G. II. p. 536. Scal. apud Merul. ad Ennium p. 87.

E ceteris litterarum latinarum fragmentis, quae carminibus ante Livii et Naevii aetatem scriptis mihi videndur vindicanda, ea tantum proferam, quorum et verba et sententiae certis metrorum vinculis ea fuisse adstricta comprobant. Nam Appii Sententias, et quaedam alia minuta fragmenta (cf. e. gr. Varro VI. p. 203 Sp. Fnst. s. v. retiario Gell. N. A. IV. 9) pedestri oratione composita puto.

Aliud vero est, quod Fest. s. v. obstinet nobis re-

servavit, cuius colore poetico fragmentum hoc carminis cuiusdam fuisse comprobatur:

Sed túm de cóelo càndens || Aúrora óbstinét suum Patrem.

(„Suum" unam tantum exhibet syllabam, ut »suos«, »sui« saepius apud Ennium.) — Cui adiungere possumus versum, quem Fest. s. v. Flaminius Camillus exhibet:

Hibérno púlvere vérno || lúto grándia fárra
Camílle métes.

(cf. Macrob. Saturn. V. 20. Serv. ad Virg. Georg. I. 101., quo loco Servius haec verba e carmine rusticorum esse sumpta tradidit; qua re non singulam ea fuisse sententiam, ut Appii verba (cf. Prisc. VIII. p. 792. Fest. s. v. stuprum; Pseudo-Sallust. de ord. re-publ. I. 1. Nieb. R. G. III 366) sed ex continente quodam carmine desumpta colligi licet.

Fragmenta quatuor e carmine Nelii (cf. Fest. s. v. numero, s. v. topper et Charis. p. 65 ed. P.) quod versibus saturniis scriptum esse puto, me non posse ad hunc metrum redigere libenter concedo, etsi in iis quoque membra Saturnii exstare videntur.

Carmen Priami, quod Attio in codd. perverse tribuitur, versibus Saturniis compositum arbitror, nam primus eius unicusque carminis versus, qui exstat, Saturnius est:

Veterés Casménas cascas || rés voló profári.

cf. Varro de l. l. p. 314 Sp.

Sic etiam omnes Scipionum in monumentis versus, quibus propter versuum initia ipsa scriptura indicata imprimis insistendum est, legitimi sunt Saturnii, (cf. Orelli inscriptt. Rom. Nro. 550—562.) qui quum iam a C. O. Müllero in add. ad Fest., a Niebuhrio, Hermanno

aliisque felicissime et doctissime sint tractati, ne iam absoluta denuo proferam, hoc loco omitto.
(cf. Grotefend. Gramm. II. 294. Meyer Anthol. I. 299. Schoell histoire abreg. de la litt. romaine.)

Huc referendi sunt versus triumphales, quorum duo Atilius Fortunatius p. 2680 ed. P. memoriae tradidit: Ex Acilii Glabrionis tabula hunc versum:

Fundít fugát prostérnit || máximás legiónes.

Alterum versum huiusmodi se in Capitolio legisse tradidit hunc:

Summás opés qui régum || régiás refrégit.

Quibus addere possumus aliud memorabile Saturnii carminis exemplum, quod apud Liv. XL. 52 exstat, cuius primum versum refert Atilius Fort. l. l. huncce:

Duelló magnó dirimúndo || régibús subigúndis.

(cf. Herm. elem. p. 616.)

Cetera vero omnia fragmenta antiquissima, quae viri doctissimi Hermannus, Grotefendus aliique ita restituere et sanare conati sunt, ut Saturnii versus evadant, eo omisi consilio, quod partim propter maximam eorum perniciem et corruptelam ea tractare non audeo, partim ea certo quodam metro adstricta fuisse satis persuasum non habeo. Cuiusmodi sunt non solum multae inscriptiones antiquissimae, sed leges quoque vetustae Numae Pompilii et duodecim tabularum.

Multo facilor de Livii Andronici versibus Saturniis, qui ex eius Odyssea adhuc exstant, quaestio est, etsi in iis quoque ubique varia versuum genera Henr. Düntzerus in l. l. conformare studuit. Quum vero omnia eius fragmenta tractare neque in mente sit, neque ad finem, quem nobis proposuimus, necessarium videatur, ea tantum proferam, quae non minuta versuum membra, sed integrum versum fuisse arbitror. — Qua in re non

librorum ordinem observavi, sed eam secutus sum rationem, ut versus, quorum metra sunt eadem aut simillima, constituerem. Nam hac observata regula versuum natura, quae fuerit, magis mihi apparere videtur.

I. Versus, in quibus prima thesis suppressa est:

1. Túque mí narràto || ómnia iám disértim.
(cf. Nonius s. v. disertim. — »Jam« coniectura addidi, quod haustum putavi »ia« (iam) ab antecedente ia in voc. omnia. —
(cf. Both. emend. Non. in Mus. Rhen. V. p. 269. Herm, elem. p. 619.

2. Sáncta puér Satúrni || fília régína.
(cf. Prisc. VI. p. 697. Hoc in versu et prima et penultima sede thesim suppressam videmus. — Aliter Herm. elem, p. 621 versum restituit.

3. Túmque rémos iússit || réligáre strúppis.
Litteram e in vocabulo religare productam puto, propter insequentem litteram l., sicut idem saepe observavi in voc.: religio, reliquiae, relinquo et cett.
(cf. Isidor. Orig. XIX. 4. Hom. Odyss. o. 287. Herm. p. 620.)

4. Atque escás habémus || méntiónem
(cf. Prisc. VI. 679.)

5. Pártim erránt nequinont || Gráeciám redíre.
(cf. Fest. s. v. nequinont.)

6. Néxebánt multum ínter || sé flexú nodórum dubio.
(cf. Prisc. IX. p. 861. Diomed. I. p. 366. Herm. p. 622.)

7. Ultrum génua ampléctens || vírginem óráret.
(cf. Diomed. p. 379. Versum eadem ratione iam restituit C. O. Müller. l. l.)

8. Púerarúm manibús polcérrimé conféctum.
(cf. Prisc. VI. praebent versum sic: »Puerarum mani-

bus confectum pulcerrime«. At Saturnium verbis translocatis restituere non dubitavi.

II. Versus Livii, qui propria sunt et prisca Saturnii forma.

1) Virúm mihi Casména || ínsecé versútum.
(cf. Gell. XVIII. 9.) — Hiatus hoc loco non offendere iam supra comprobavimus. cf. praeterea de hiatu Cic. Orat. c. 45.

2) Mea púera quíd verbi éx tuo || óre subter fúgit.
(cf. Charis. p. 64. Prisc. VI. p. 697. Codd. var. vid. apud Herm. elem. p. 618.) — Semel tantum verba »mea puera« esse legenda propter graecum exemplum atque imaginem puto.
(cf. Hom. Odyss. a. 64.)

3) Argénteá pollúbro || aúreó gútto.[20])
(cf. Non. s. v. pollubrum.) — Hoc in versu duplicem observa licentiam hiatum ante caesuram admissum, et thesim sede penultima oppressam.

4) Mércuriús cumque éo || fílius Latónas.
Prisc. VI. p. 679. Prima thesis est suppressa. —

5) At véstros
Dum híc mantátis cúrtet || nérvos pérduélles.
(cf. Calp. Pison. Ms. apud Merulam p. 253. Herm. elem, p. 628.)

6) Carnís vinúmque quód libábant anclabátur.
(cf. Prisc. VI. 684.) — Codd. hunc versum sic exhibent: Carnis, ait, vinum quoque quod et cet. aut: C. a. vinumque quod; e qua lectione Krehlii codd. restitui versum. Nam »quoque« puto ex »que« et insequente »quod« esse natum.

---

20) Unus cod. praebat pro „gutto" „glutro", quod praeferendum puto et part. quo adiungendam voc. aureo.

7) Patér nostér Saturni || filiè
(cf. Prisc. VII. p. 641.)

Quae iam sufficient ad eam, quam supra constituimus, veram et priscam Saturnii formam ac speciem, et ad licentias, quibus usi sunt poetae in eo fingendo, comprobanda. Cetera enim fragmenta ex Livii Odyssea partim sunt versus, (sicut quos Prisc. III. p. 770 et VIII. p. 817 exhibuit,) a Grammaticis in versuum longorum formam, cui Saturnius similis erat, recusi, partim membra duorum versuum nec integros versus fuisse puto.

Quibus de Saturnii versus forma ac ratione disputatis, iam ipsa fragmenta, quae nobis ex Naevii carmine de bello punico exstant, constituere et ad metri Sat. rationem revocare possem, nisi, ad ordinem, quem in iis constituendis secutus sum, quaque in re saepe E. Spargenbergio dissentio, defendendam consentaneum videretur, quaedam de fabula, quam Naevius in primis de bello punico libris secutus sit, praemittere. —

5.

De fabula, quam in primis de bello punico primo libris Naevius secutus videtur.

Antequam Cn. Naevius bellum punicum ipsum carmine celebravit, in primis libris, tamquam prooemio, carmen de Romae et Carthaginis primordiis praemisit, in quo et originem utriusque populi, Romanorum et Carthaginiensium, et caussas eorum odii intimas ac longe remotas exposuisse videtur. Quae enarrata primi duo libri ex Octavii divisione complectebantur. In ipsa vero fabula Naevium partim Graecos poetas cyclicos, qui vocantur, secutum esse, partim fabulas et

carmina, quae eo tempore in ore populi Romani ferebantur, sumpsisse arbitror. In prima enim fabulae parte, qua, quomodo Aeneas Troiam reliquerit, cecinit, neque eandem plane, ac Virgilius ceterique poetae epici posteriores praebent fabulam, sed Arctinum secutus esse videtur; de altera vero parte, qua de Aeneae in Africam, ac deinde in Latium adventu locutus est, fere nulla in Graecis poetis ante Naevium vestigia exstant.[21]) Virgilius enim Aeneam, urbe iam a Graecis deleta, Troiam deseruisse narrat: Naevius vero, quod ex fragmentis apparet, ante urbem captam, patre persuadente, Aeneam in montem Idam migrantem facit. Quod idem fecit Arctinus in Procli excerptis haec referens:

Τραπέντες δὲ ἐις ἐυφροσύνην ἐυωχοῦνται ὡς ἀπηλλαγμένοι τοῦ πολέμου· ἐν ἀυτῷ δὲ δύο δράκοντες τόν τε Λαοκόωντα καὶ τὸν ἕτερον τῶν πάιδων διαφθέιρουσιν· ἐπὶ δὲ τῷ τέρατι δυςφορησάντες οἱ περὶ τὸν Ἀινέιαν ὑπεξῆλθον εἰς τὴν Ἴδην. — Eandem fabulam Sophocles quoque in Laocoonte secutus est. (cf. Dionys. A. R. I. 48 et F. Welckerum in Mus. Rhen. Suppl. II. 1. p. 151—155. 1839.) *Σοφοκλῆς μὲν ὁ τραγῳδοποιὸς ἐν Λαοκόωντι δράματι, μελλόυσης ἁλίσκεσθαι τῆς πόλεως, πεπόιηκε τὸν Ἀινείαν ἀνασκευαζόμενον ἐις τὴν Ἴδην, ὑπό τοῦ πατρὸς Ἀνχίσου κατὰ τὴν μνήμην ὧν Ἀφροδίτη ἐπέσκηψε καὶ ἀπὸ τῶν νεωστὶ γενομένων περὶ τοὺς Λαοκοωντίδας σημέιων τοὺ μέλλοντα ὄλεθρον τῆς πόλεως συντηκμηράμενον.*

In cetera vero fabula, quam presse Virgilius Naevii vestigia secutus sit, et Macrobius (cf. Saturn. libr.

---

20) Quae Naevius e fabulis Graecorum Siciliam incolentibus, praecipue vero e fabulis Erycinorum sumpserit, alio loco disseram.

II. p. 157, 170, 182 alibique) atque Servius ad multos Aeneidis locos observaverunt, et ipse ex fragmentis et carminis specie intelliges. — Quam carminis speciem ac formam, qualis in libro I. et II. exstiterit, ex fragmentis, quae nobis sunt tradita, quoad licuit, iam vides a me restitutam:

In carminis initio declarat poeta (vid. fragm. I) se velle bellum canere a Romanis contra Carthaginienses gestum: deinde Musis invocatis (cf. fragm. II. et III) misera Laontidarum morte carminis initium cepisse videtur. Qua visa Anchises, Laocoontis frater, »quem Venus mater, pulcerrima divum fata docuerat, ita ut divinum pectus haberet« (cf. fragm. V.) Aeneam persuadit, ut urbem relinquat, filiumque »fata« docet. (cf. fragm. V.) Priusquam vero urbem deserunt, sacra facit Anchises et auspicia observat. (cf. fragm. VII.) Deinde nocte Troia pater et filius cum uxoribus »tectis capitibus lacrimis cum multis« exibant, atque in Idam montem migrabant. (cf. fragm. VIII.) Aurum atque argentum (cf. fragm. IX) et crateras aureas (cf. fragm. X.) secum tulerunt, multique mortales et strenui viri eos secuti sunt. (cf. fragm. XI. XII.) Mercurius vero cum nullam haberent navem, iis unam exstruxit, qua unica iter suscepere. (cf. fragm. XIII.) In mari vero tempestas oritur, qua visa Venus apud Jovem queritur de periculis filii. Juppiter eam de fatorum prosperitate solatur. (cf. fragm. XIV.) Qua in tempestate Anchises, »cuius mentem fortuna iam quietam fecerat,« cf. XV., »senex fretus pietate deorum« (cf. fragm. XVI.,) alloquitur »summi deum regis fratrem Neptunum reguatorem marium« (cf. fragm. XVII.) — Tempestate peracta marique pacato — multis fortasse post fatis Carthaginem ad Didonem perveniunt. Hoc primi libri argumentum fuisse puto.

In libro secundo Aeneam ad Africae oras, in Annae et Didonis urbem deducit; (cf. fragm. XVIII—XXI.;) nec dubito, quin amores quoque Anchisiadae tractaverit, verum non Didonem, sed potius Annam infelicem eum finxisse amatam puto. Africa relicta Aeneas appellit in Italiae littore, atque visitat iuxta Cumaeam Sibyllae speluncas; (cf. fragm. XXII—XXIII.) et quum a Cimeria Sibylla, de qua infra largius locuturi sumus, fata audisset, venit ad Latium in Aventinum montem. De iis, quae inde ab hoc loco ex Aeneae fabula atque antiquissimis ex historiis poeta tractaverit, nullum vestgium in fragmentis Naevianis exstat. Quare puto ea esse brevissime tractata. Tertio deinceps libro poeta bellum punicum ipsum decantat.

IV.

Naevii ex epico de bello punico primo carmine fragmenta.

Fragmenta, quae exstant ex Naevii carmine de bello punico primo.

Fragmentum I.

Qui térrai Látiái || hémonés tusérunt
Virós frudésque Poéni || fábor.

Hoc fragmentum P. Merula ad Enn. fragm. p. XLI sqq. e Calpurnii Pisonis Manuscripto libr. de continent. vett. poett. sic nobis refert: »Cn. Naevius bello punico primo immoraturus canit, ut solent illo aevo: Qui terrai Latiai omnones tuserunt, viros rudesque poenica fabor.« — Verum enim vero praeter eas, quas Hochius l. l. constituit, caussas, aliae quoque adsunt, quibus commotus hunc versum a P. Merula fictum esse putem. Primo enim hoc offendit, quod tam accurate et hoc loco et ubique, quo Calpurn. iste Piso Naevii fragmenta refert, non solum nomen cognomine addito, sed etiam librum, ex quo referuntur fragmenta, addit. Deinde mirum est, quod nullus Grammaticus haec fragmenta nobis profert, quippe quae, quum initium essent totius carminis, et aptissima et cuique prompta essent. At hanc litem plane diiudica, cuius maior est doctrinae copia.

Hermanus elem. p. 629. hiatum fugiens, versum sic restituit:

Qui térrai Latiai hemónes cóntusérunt.

Quum vero propter gravem caesuram hoc loco in versu Saturnio hiatum non offendere putem (cf. p.48 sqq..), codicis auctoritatem, quoad licuit, secutus sum. Huc

accedit, quod littera »h« in vocabulo »hemo«, gravissima aspiratione fere in aeolici digammatis rationem pronuntiatam esse arbitror, quod iam apparet ex alia eiusdem forsitan radicis voce: »femina«. — Eadem ratione in voc. fircus pro litt. »f« postero tempore »h«, hircus, pro foedus — hoedus pronuntiatum est: et quod vocalium permutationem pertinet, multa exstant, eiusdem generis exempla: ut *πλέκω*, plico, flecto, floccus, pluma, floccus; idem igitur factum est in hemo, femina, homo, humanus. Praeterea alia adest mihi caussa, qua commotus Herm. versus stucturam non possum comprobare. Nam si hic primus carminis versus, purus, ut Hermanus constituit, fuisset versus saturnius, nec ei inesset insolita quaedam solutio verborum (pedis cuiusdam), sicut in secunda exstat pede, qui, quaeso, fieri potuit, ut Atilius Fortunatius, dicens (p. 2679 ed. Putsch.) se vix invenisse versus, quos pro exemplo poneret, et quaerens exempla, non primum totius carminis versum potius protulerit, quam alios longius petitos?

Secundi versus verba Merula, eumque secutus E. Spangenbergius aliique sic exhibuerunt:

Vires frudesque poenicas fabor; aut alia litterarum scriptura:

Vires fraudesque punicas fabor.

At »viros« non solum propter codd. auctoritatem, sed etiam propter analogiam, quae exstat in Odyssea atque in Virgiliani carminis initio restituendum putavi. Eadem enim ratione Livius Anoronicus scripsit:

Virúm míhi, casmena, ínsece versútum;

Virg.: Arma virumque cano; et Aen. I. 566. Viros virtutesque Troiae.

Quod ad scribendi rationem pertinet, scripsi: »hemones«, non »homines«, „frudes", non „fraudes", cuius

scribendi rationis Merula ad Enn. XLII. caussas idoneas contulit.

Fragm. II.

Novém Jovis concórdes || filiaé sorores.

Exstat hoc fragm. apud Atil. Fortunatium p. 2650 et Mar. Vict. III. p. 2587. solo Naevii nomine addito. Quibus ex caussis ad librum belli punici primum referendum sit, quisque iam intelliget.

Fragm. III.

Musás quos mémorant nóstri || ésse vós Casménas.

Varro libr. VII. p. 312. Sp. hunc versum profert, neque carminis, nec poetae nomine adiecto. P. Merula, eumque secutus E. Spangenberg. hunc versum Ennio tribuendum esse putaverunt, quare adactis omnibus machinis hexametrum restituere studuerunt. Sed multo meliore iure versum Naevio esse vindicandum arbitror, nam non solum versus antecendentes (cf. Varro. p. 300 et 301) ex Naevio protulit Varro, sed etiam saturnius multo facilius evadit, quam versus longus. Quis vero, etsi in Varronis libro multa exstant corruptissima, tam audax est, qui cum J. Scaligero (p. 85) et Spangenbergio p. 2. sic hunc versum restituat:

»Musae, quas memorant Casmenas esse Latinas“ quam ego praebui lectionem erui e Varronis codd., qui hunc locum sic exhibent: »Cornua a curvore dicta, quod pleraque curvamus ac quas memorant nosce nos esse Carmenarum.“ Pro »nosce nos esse« legitur in codd. Havn. »nosse esse,“ aut »nosce vos esse.“ — Qui vero Ennio haec verba esse tribuenda nihilominus putant, sic forsitan ea, ut versus longus evadat, mecum restituent:

»Musas quas memoramus nomine Casmenarum.“

Fragm. IV.

Doctus Anchisa quem pulcerrima divum fata docet, divinum ut pectus haberet.

cf. Virg. Interpr. ed. Ang. Maio p. 36 ad Virg. II. vers. 678. — Eadem verba Probus ad Virg. Ecl. VI. 31. Ennio tribuit, qua re P. Merula et Spangenberg. (cf. Enn. fragm. I. p. 9.) Naevii nomen nostro loco falso inculcatum esse putant. Verum equidem Ennium Naevii verba imitatum esse arbitror, de qua eius imitandi ratione cf. Cic. Brut. 19., ubi de Ennio dicit: qui a Naevio vel sumsisti multa, vel si negas surripuisti. Metrum sic forsitan mecum restituas:

Anchísa dóctus quém pul || cérrima dívum fáta
Docét divínum ut péctus ha || béret.

Quod ad ipsam rem interpretandam pertinet, cf. de Anchise vaticinante Heynii Excurs. ad Virg. Aen. II. 17., et de Anchise in fabulis troianis partibus: Claussen. Aeneas und die Penaten. I. 317. 143—145. 28—23.) Naevius sicut Virgilius Anchisae personam ita finxisse videtur, ut ei dederit partes iubentis, praecipientis, monentis, quod ad parentum et senum temporibus heroicis auctoritatem ac sanctitatem adumbrandam praeclare est comparatum; imprimis tamen ei divinandi et cum auguria omina, somnia, tum oracula interpretandi facultatem tribuisse videtur; sicut etiam Virgil. Aen. libr. II. 687. III. 9 et 538. VII. 122. 399. Idem Ennius fecit, cum Naevii, tum Graecorum scriptorum consensu. Etiam Sophocles in Laocoonte fabula Aeneam induxerat in Idam secedentem, Anchisae, patris, iussu, qui partim acceptorum a Venere mandatorum memor (de quibus cf. Virg. II. 619), partim prodigium, quod modo in Laocoonte eiusque filiis acciderat, interpretatus, urbis interitum praedicebat. cf. Dion. Hal. I. 48. Veneris iussu

Aeneam fugisse praeter Naevium Conon. Narrat. XLVI. narravit. A Venere servatum esse Aeneam tradidit etiam Triphiod. 642. et Quintus XIII. 226.

Fragm. V.

Res dívas édicít prae || dícit cástus.

cf. Non. s. v. castitat. Spang. p. 204 hunc versum ad libr. VII. refert, quod non possum comprobare.

Fragm. VI.

Póstquam
Avem àspexít de témplo || Anchíses sácra in ménsa
Penátium ponúntur || órdine; ímmolábat
Aurátam víctimám pulcramque.

Verba Probi ad Virg. Ecl. VI. sic leguntur: „Postquam avem de templo, Anchises sacra immensa Penatium ordine ponuntur immolabat auream victimam pulcram," Scaliger ad Varronem p. 124. nimis audacter, at ingenuose sic restituit versus:

At postquam avim de templo Anchisa spexit
Sacra ordine in mensa Penatium Deorum
Ponuntur; victimam auream pulcram immolabat.

Quem secutus est E. Spang. p. 199. Hermanni doctam versuum emendationem vid. elem. p. 632.

Fragm. VII.

Fróndem ac flóres áddit
Non láuas séd velátas || fróndentés comás.

(cf. Varro de l. l. VII. p. 311. ed. Sp.) Hoc fragmentum quoque omisit Spang. Scaliger haec verba ex Naevii Alcestide sumpta esse arbitratus est; (cf Add. ad Varr. p. 85. ed. Bip.,) quam sententiam Hermannus refutavit ad Eurip. Alc. p. XVIII. — In Varronis codicibus, qui adhuc exstant, poetae nomen omissum est; in edd. princ. vetust. Rhol. Venet. I. II. Ald. Basil. Paris. Gryph. huic versui Naevii nomen adscriptum legimus.

Nec dubito, quin re vera ei sint tribuenda, nam perspicua saturnii vestigía in iis exstant, qua re Ennio non possunt vindicari. Huc accedit, quod Naevii nomen a correctore eodem, qui et alibi auctorum nomina Varroni omissa inculcat, insertum esse ea ex caussa non puto, quod Naevius poeta nimis ignobilis erat eius aetatis hominibus, cuius nomen a correctore quodam adiectum esse putare possis. —

Qua re arbitror, Naevii nomen primos Varronis editores e codicibus quibusdam nunc deperditis eruisse.

Addit pro addidit ex optimo codice Havn. recepi, ut Saturnius evadat.

Fragm. VIII.

Ambórum
Uxóres nóctu Tróiade || éxibánt capítibus
Opértis fléntes ábeun || tés lacrumís cum múltis.

(cf. Serv. ad Virg. Aen. III. 10. Both. fragm. scen. p. 96.) Vossius in notis ad Naev. fragm. p. 76; in Scriveri l. l. In codd. haec verba sic exstant: . . . . . „Opertis flentes ambae abeuntes lacrumis cum multis“. Bothius vocabulum abeuntes, tamquam glossam, abiecit; at hoc ncn possum comprobare, quia nullum in hoc versu est verbum, quod glossa egeat; qua re potius »ambae«, ut natum ex vocabulo abeuntes, siglis scripto, eiiciendum esse arbitror.

Fragm. IX. X. XI.

Eórum séctam múlti | mórtalés sequúntur.
Multí(que) alii Troiáde || strénui virí
Ubí forás cum | aúro illíc exíbant.

Tria haec frag. Serv. ad Virg. Aen. II. 797—699 sic nobis exhibuit: „Sane adamat poeta (Virgilius) ea, quae legit, diverso modo proferre. Naevius in belli punici primo de Anchisa et Aenea fugientibus haec ait:

Eorum sectam sequuntur multi mortales. Ecce hoc est: Invenies admirans numerum (Virg. II. 797.) Multi alii e Troia strenui viri: Ecce hi sunt: Animis parati. V. 79.) Ubi foras cum auro illic exibant. Ecce: Opibus instructi.

Metrum paucis immutatis restituere conatus sum.

Fragm. XII.

Ferúnt pulcrás cratéras, || áureás lepístas.

(cf. Atil. Fort. p. 2680. Plot. de metr. p. 2650. P. Mar. Vict. III. p. 2587. P.) Codd. exhibent creterras, quod non omnino est despernendum. Librum non addunt; qua re ad libr. I., atque ad hunc locum referenda sint haec verba, ex ipsa sententia, quam praebent, aliqua probabilitate apparet.

Fragm. XIII.

„Novam tamen rem Naevius bello punico dicit, unam navem hacuisse Aeneam, quam Mercurius fecerit. (cf. Serv. ad Aen. I. 174.)

De partibus, quas in fabula Naeviana, ut hoc ex loco intelligi potest, Mercurius egerit, haec addisse sufficiat: Quod Naevius in fabula enarranda Mercurium Aeneae navim exstruentem fecit, non sine iusta quadam caussa nec sine respectu in antiquam fabulam graecam eiusque naturam instituisse videtur. Ligna enim e quibus Aeneae navis vel apud Virgilium Aeneae classis erat exstructr, sacra monti Idae pinus fuere: nymphae vero in iis arboribus vitam agebant (cf. Hymn. in Aphrod.), quarum Sileni et Mercurius amores sectabant. Si igitur ex his arboribus naves exstructae erant, sententia ea aptissima et ad manus prompta fuit: non solum inviolabiles atque aeternas has fuisse naves, verum etiam Mercurium eas aedificasse, et fauste ac feliciter per mare duxisse. Ex eadem fabula et cogitandi ratione,

cuius etiam in Virgilio vestigia exstant, narratio quaedam et traditio, ut hoc vocabulo utar, Romae nata erat, quam nuper in Procopii libro de B. G. IV. 22: legi; narrat enim Procopius etiam usque ad Gothica tempora Romae ostentatam esse navem Aeneae ex una arbore factam, inviolabilem, immortalem: atque huc Horatium carm. I. 14. 11 (Pontica pinus, silvae filia nobilis) respexisse puto.

Simili ratione Argo ex sacra quercu dodonea erat exstructa.

Fragm. XIV.

Tempestas exoritur: Venus queritur apud Jovem de periculis filii: Jupiter eam de prosperitate futurorum consolatur. — Haec in carmine Naeviano tractata fuisse atque Virgilium I. 233. sqq. imitatum esse narrat Macrob, Sat. VI. 21. ed. Bip.

Fragm. XV.

Senéx fretus pietáte || ádloquútus súmmi
Deúm regís fratrém Nep || túnum régnatórem
Marúm

(cf. Priscian. libr. VII. p. 770. Herm. elem. p. 636.) Versum ita restitui, ut vocabulum deum, quod codices post voc. pietate scriptum exhibent, eiicerem, 'quia id natum putavi ex altero voc. »deum«, quod secundo in versu exhibent libri.

Príscianus librum, ex quo haec verba sumpserit, non notavit. Attamen Spangenbergio, qui hoc fragmentum ad Duilium spectare arbitretur, non possum consentire; nam Duilius eo tempore, quo classi praeerat, nondum senex fuit, nec mos atque instutio fuit Romanorum, ut senem classi praeficerent, sed hoc inter eos virorum iuniorum munus erat. Qua re potius ad Anchisem haec verba spectare putavi, nam non solum

huius adumbrant ingenium aptissime, sed etiam Priscianus fere omnia, quae profert fragmenta, e primo et secundo libro sumpsit.

Fragm. XVI.

Jámque
Eiús mentém fortúna || fécerat quiétem.

(cf. Prisc. VII. 703.) Versum Herm. p. 636 aliter atque ego restituit. Spangenbergius ad libr. IV. haec verba retulit, ad Regulum ea spectare opinans; verum optimi codd. ea ex libro II. prolata esse comprobant.

Fragm. XVII.

Aeneas adhortatur socios eisdem fere verbis, quibus Virgilius I. 202 usus est:

„O socii neque enim ignari sumus ante malorum
O passi graviora dabit deus his quoque finem.“

Serv. ad Virg. Aen. I. 202 notavit: Totus hic locus de Naevio belli punici libr. (I) translatus est.

Fragm. XVIII.

Dido-Anna.

(cf. Serv. ad Aen. IV. 9. hoc refert: (Agenoris) cuius filiae fuerint Anna et Dido Naevius dixit.

De Didone et Anna, earumque apud Naevium partibus cf., quae supra adnotavi. — Puto hoc loco librum secundum initium cepisse.

Fragm. XIX.

Blande ét docté percóntat || Aéneás quo pácto
Troiám urbem líquerít.

(cf. Non. s. v. liquerit et percontat p. 375 et 474 ed. Merc.) Variant lectiones nonnihil apud Nonium, sed veram lectionem iam dudum restituerunt viri docti (cf. Merula. p. 51. 115. Carr. Antiq. lect. III. 10. in Grut. face crit. III. p. 74. Herm. elem. 631. Spang. p. 193.) Claussen. libr. l. I. p. 515. hoc fragmentum ad Latinum

aut Evandrum spectare putat, ea commotus caussa, quia in libr. II. a Serv. IX. 715. iam Prochyta insula nominata sit. At puto hoc nihil contra codd. auctoritatem valere.

Fragm. XX.

Magnám domúm decórem || dítem véxárant.

(cf. Prisc. VI. p. 699. Codd.) exhibent: decoremque, et vexrant; pro vexrant Herm. p. 636 recipit vexarant; in voc. decoremque ego »que« reieci, ut Saturnius evadot, et allitteratio magis perspicue audiatur. Qua probata emendandi ratione Saturnius ita evadit, ut penultima sede thesis suppressa sit.

Fragm. XXI

Onerariae onustae stabant in flustris.

(cf. M. S. Oxoniense de rerum nat. in apprnd. a Festum C. O. Muelleri.) Versus non conatus sum restituere, sed Muellerum potius secutus sum, qui quam rationen secutus sit, non intelligo.

Fragm. XXII.

»Prochytam insulam Naevius in primo belli poenici de cognata Aeneae nomen accepisse dicit.« (cf Serv. ad. Virg. Aen. IX. 715.)

In libri numero a librario ut saepissime erratum esse puto.

Idem fere, quod Naevius de insula Prochyta tradiderat, narrat Dion. Hal. A. R. I, 53. *Νήσῳ τε Προχύτῃ καὶ ἀκρωτηρίῳ Καιήτῃ τύχῃ προσορμισάμενοι κατὰ τίθενται τὰς ἐπικλήσεις τοῖς τόποις γυναικῶν ἀποθανουσῶν βουλόμενοι μνημεῖα ποιῆσαι τὰ χωρία. τούτων δὲ ἡ μὲν συγγενὴς Αἰνείου λέγεται γενέσθαι, ἡ δὲ τροφός.* Plin. Hist. n. III. 6. 12. aliter: »Prochyta non ab Aeneae nutrice, sed quia profusa ab Aenaria erat.“ Strab. V. 247. nominat Prochytam, sicut Plinius, *Πιθηκουσῶν*

ἀπόσπασμα. De sacro quodam in hac insula loco (cf. Swinburne: Reise durch beide Sicilien. II. 22. Spallanzini Reise d. b. S. I. 160.) — Sicut Prochyta a cognata Aeneae erat nominata, ita Aenaria eo nomen traxit, quod ibi Aeneas navium stationem habuit. (cf. Plin. III. 6. 12. Fest. s. v. p. 17.)

(Quod in fabulis mythica ratione errat narratum, id re vera fecerunt, Coloni Graeci, qui Cumam condidere: nam primum in insulis Prochyta et Aenaria (cf. Liv. VIII. 22. Strab. V. 247.) coloniam condiderunt. —

Fragm. XXIII.

Quartam Cimmeriam Sibyllam in Italia, quam Naevius in libris belli poenici nominat. (cf. Lact. Divin. Inst. I. 6. 9. — Piso, qui idem de Sibilla Cimmeriá in annalibus ac Naevius narraverat, in antiqua de Aeneae in Italiam adventu fabula saepius cum Naevio consentisse videtur, nam etiam de insula Prochyta idem tradiderat. (cf. Auct. de or. gent. Rom. cap. 10. §. 2.) — De Cimmeria Sibylla, quae fuerit, (cf. Suid. s. v. *Σίβυλλα.* Justin. Mart. Paraen. p. 34. Chron. Pasch. p. 201. „*Σίβυλλα ἡ Ἀδαὴ ἡ Κιμμέρια.*" Haidbreede de Sibyllis. p. 13.

Qua ex caussa Cimmeria sit nominata Cumana Sibylla, fortasse haec declarant. Ephorus fabulam tradiderat de Cimmeriis quibusdam, qui circa Aornum et lacum Acherusiam iuxta Cumis in speluncis subterraneis habitasse feruntur, ac nocte tantum proveniebant, incolisque oracula dabant. (cf. Strab. V. 244. Plin. hist. nat. III. 5.9.)

Fragm. XXIV.

Silvícolae hemónes béllique || ínertís

(cf. Mecrob. Sat. VI. 5. Refertur ab hoc ex libr. I. p. 50 et 410.)

Nihilominus Merula eumque secutus Spangenberg. versum hunc ad descriptionem classis pertinere arbitrantur: at mihi potius ad silvicolas Latii et septum montium incolas, atque in librum II. referenda esse videntur.

Fragm. XXV.

Capéssit tópper flàmmam || Vólcani

(cf. Fest. s. v. topper;) ubi haec verba ad libr. II. referuntur. Versum omisit Spangenberg.

Quo vero spectant haec verba nescio, at quum ad libr. II. a Festo referantur forsitan ad incensam a feminis classem spectant.

Fragm. XXVI.

„Aeneae ex filia nepotem Romulum fuisse Naevius et Ennius tradunt.“
(cf. Serv. ad Aen. I. 277.)

Fragm. XXVII.

»Aventinum aliquod de caussis dicunt, Naevius de avibus; quod eo se a Tiberi ferrent aves.« (cf. Varro libr. V. p. p. 45. Both. fragm. scen. II. p. 26..)

Puto hoc fragmentum ad Romuli auspicium pertinere, de quo Ennius haec:

At Romulus polcer in alto.
Quaerit Aventino, servans genus altivolantum.

Fragm. XXVIII.

„Palatium alii a Palantia, uxore Latini, putaverunt: eundem hunc locum a pecore dictum putant quidam, itaque Naevius Balatium appellat.
(cf. Varro. d. l. l. V. p. 59. Both. fragm. scen. V. 2. p. 26.)

Fragm. XXIX.

»In montes ubi venti frangebant locum.«

Sunt haec verba Naevii, quae nobis refert Isid. Orig. libr. XIV. c. 8. s. v. confrages. Spangenberg. hoc fragm. omisit, quod equidem ad bellum punicum quin pertineat non dubito.

Praeter ea, quae exhibui fragmenta ad primum aut secundum belli punici librum tria pertinere mihi videntur fragmenta, quae, si P. Merulam ad Enn. 50. 410. 448. et Spang. p. 195. sequimur, ex decriptione quadam primae Romanorum classis exstant, nostra vero, quam supra iam pretulimus, quamque etiam Niebuhrius comprobavit, sententia ad descriptionem scuti Aeneae spectare videntur. Nam in rebus bellicis Romanorum describendis, quippe quae omnibus sui temporis Romanis in memoria essent, simplicem veritatem, ut ex ipsis fragmentis apparet, tanta ieiunitate Naevius secutus est, ut potius annalium scriptor, quam poeta videretur; ín rebus vero fabulosis, quas de Aeneae eiusque in Italiam adventu finxerat, poetico ornatu ubique usus est, quare id factum est, ut fragmenti primi ac secundi libri plane aliam speciem et indolem habeant atque ea, quae ex ceteris libris exstant. — Huc accedit, quod Romanorum classis tam celeriter et tam rudi arte erat exstructa, ut poeta potius eius rudem formam, quam externum, Romanis ad id usque tempus ignotum eius ornatum descripsisset. Fragmenta, quae huc mihi pertinere videntur, sunt haec:

Fragm. XXX.

Inerant sígna expréssa || quómodó Titáni
Bicórporès Gigántes || mágnique Atlántes
Rhúncus ác Purpúreus || filií térras.

(cf. Prisc. VI. p. 689.) Quod ad versuum rationem pertinet, C. O. Muellerum (cf. Add. ad Fest. p. 312.) sequutus sum. Theses vides in secundo et tertio pede

pluries oppressas. — Herm. p. 630. alia ratione metrum constituit.

Praeterea mihi huc pertinere videntur:

Fragm. XXXI. XXXII.

Prima íncedít Cecerís Prosérpina púer —
Deín polléns sagíttis árcutenéns ínclutus
Sanctúsque Délphis prógnatús Pythiús Apóllo.

Priorem versum Prisc. VI. 697 affert, reliquos Macrob. Sat. VI. 5. Merula p. 53 primus ea coniunxit, De metro (cf. Herm. p, 631.)

Spangenbergius praeter ea, quae ad primum aut secundam librum referenda putavi fragmenta quattuor alia iis nec sine iusta quadam ratione inseranda esse arbitratus est; quorum primum est hoc;

Fragm. XXXIII.

Quod brúti néc satís sardáre quéunt.

(cf. Fest. s. v. sardare.) Secundum, quod huc refert, nihil aliud nisi fragmentum huius fragmenti esse C. O. Müllerus ad Varr. VII. 108. docte adnotavit. Varro l. l. his verbis id exhibuit:

»Nec satis sarrare«.

Fragm. XXXIV.

Tertium quod in initio libri primo Spang. collocavit fragmentum, exstat apud Donat. in Terent. Andria Act. I. sc. I., libri numero non addito.

Pleríque omnés subiúngunt, súb suúm iudícium.

Quo loco hoc collocem, nescio, nam ad omnes libros pertinere potuit.

Fragm. XXXV.

Quartum, quod profert, mihi ad bellum punicum non spectare videtur, sed ad tragoediam quandam Naevii. Exstat enim his verbis apud Prisc. VIII. p. 801.: »Naevius in III. Hectore proficiscente: Tunc ipsos ad-

oriant, ne quis hinc Spartam referat nuntium.“ Vides, nec Prisciani nec Naevii verba hanc Spangenbergii ra tionem comprobare. Qua re iam Ger. Jo. Vossius ad fragm. trag. q. 75. (ed Scriveri) eumque secutus Hermannus haec verba fragmenta Hectoris Naeviani esse putaverunt, quam tragoediam Cicero ter memoravit. (cf. Quaest. Tusc. III. 31. Epp. ad div. V. 12. XV. 6

Haec fere fuerunt fragmenta, quae ad primum aut secundum librum spectant: cetera vero, quae sunt perpauca et satis obscura ad certos libros ut fecit Spangenbergius referre non sum conatus; nam caussae mihi probatae omnino desunt. Quin utrum ceterae carminis partes inde a fine libri secundi, in quibus ipsum bellum poeta descripsit, ita inter sese sententiarum certo vinculo nexae fuerint, ut ad unum finem spectarent, nec ne; utrum exempli gratia Reguli qui Melitam devastaverat, mors tamquam sacrificium piaculare, quo Didonis umbrae placaretur (cf. Claussen. p. 515.) a poeta adumbrata sit, hoc valde potest dedubitari. Equidem enim, quoties fragmenta ipsa accuratius perspicio, potius totum carmen, fabula de Romae et Carthaginis origine excepta, magis ad annalium similitudinem a Naevio, quam vera poetica et epica ratione esse descriptum arbitror.

Cetera fragmenta sunt haecce:

Fragm. XXXVI.

Manius Valerius Consol partem exerciti ducit
In expeditionem

(cf. Charis. I. p. 103, ubi hic locus in libr. II. refertur.) Spang. p. 195 hoc fragm. ad libri II. initium retulit.

De hoc Manio Valerio Maximo, cui propter victo riam de Hierone reportatam cognomen Messalae erat, cf. Fast. Capit. CDIXC. Macrob. Sat. I. 6. Senec.

Brevit. 13. Polybium I. 17. A Plin. H. N. VII. 60. 60. XXXV. 4. 7. M. (Marcus) nominatur, eumque secutus est Niebuhr. R. G. III. 415. Orelli. Onom. Cic. II. 630. Alio loco (R. G. III. 666.) Niebuhr. recte eum Manium nominat.

Fragm. XXXVII.

Pulcramque ex auro vestem, citrosamque.

(cf. Isid. Orig. XI. 22. Macrob. III. 15.,) quo loco verba ex Naevii bello punico haec tantum exstant: »Hinc et Naevius in bello pun. dicit: vestem citrosam.« Huic forsitan fragmento aliud est coniungendam, quod dilaceratum apud Festum s. v. supparus exstat: »Supparum puniceum vestimentum vocat Naevius in bello poenico, et in Nautis vovet Neptuno vestem consecratam supparum"; quibus e verbis Spangenbergius valde incuriose et perverse hunc versum eruit: »Nautae vovent Neptuno puniceum supparum«; etsi cuique apparet, verbae haec Naeviana ex duobus plane diversis eius carminibus, altera e carmine de bello poenico, altera e comoedia: »Nautae« esse desumpta.

Fragm. XXXVIII.

Patrém suúm suprémum || óptimum áppéllat.

(cf. Varro VI. p. 356 Sp.) Hiatus hoc in versu non offendit, neque thesis sede penultima suppressa. Qua re, ut versus Saturn. evadat, non necessarium mihi videtur, aliquid hoc in versu mutare, Spangenberg. nimis audacter sic eum exhibuit:

»Jovem patrem suum optimum appellat supremum.«

Fragm. XXXIX.

„Lucetium autem Jovem Cn. Naevius in libr. belli Punici appellat.« (cf. Gell. V. 12.)

Fragm. XL.

Summé deúm regnátor, || quíanám genúisti.

(cf. Fest. s. v. Quianam. Merula p. 416 pro genua isti, quod exhibent codd., coniecit »genuisti.«

Fragm. XLI.

»Sic Poeni contremiscunt artubus universím
Magni metus tumultus pectora possidet.
Caesum funere agitant
Exsequias ititant, temulentiam tollunt
Festam.«

(cf. Calpurn. Pis. ms. apud Merul. p. 417.) Laudat haec verba Calp. ex libro III. Versum secundum a Nonio quoque s. v. metus exhibetur.

Fragm. XLII.

Manusque sursum ad coelum sustilit suas rex
Amulius, gratulatur diis.

(cf. Non s. v, gratulari; ubi haec verba e libro III. referuntur sic: »Is qui sursum ad coelum sustulit suas res amullus gratulatur diis.« Alii codd. anulus, alii ammulus, exhibent. — (cf. H. Stephanus in fragm. poett. vett. Latt. p. 215.) Spangenberg p. 198. coniecit »Atilius«; Mercerus: »Romulus«; Krause: Aemilius, alii aliter (cf. Merula. p. 420. Herm. p. 631.)

Fragm. XLIII.

„Verum praetor advenit et auspicat auspicium.«

(cf. Non. s. v. auspicari.) — In codd. vocabulum pros perum uncis inclusum adscriptum legitur. Merula et Spangenberg. coniecerunt: „Ubi quum«; Herm. »virum« pro voc. verum“.

Fragm. XLIV.

Transit Miletam Romanus exercitus, insulam integram
Urit, populatur, vastat, rem hostium concinnat.

Nonius s. v. concinnat haec verba e libro IV nobis profert.

Versus Saturnius forsitan sic mecum restitues:

Transit Romanus exercitus Melitam insulam integram

Urit populatur vastat, rem hostium concinnat:

ita ut, quod etiam a politioribus poetis interdum factum est, ultima primi versus syllaba ad alterum pronuntiatione trahatur. — Res vero spectat ad Regulum, qui Melitam insulam crudeliter devastavit.

Fragm. XLV..

„Eam carnem victoribus danunt."

(cf. Non. s. v. danunt.) Laudatur hoc fragmentum e libro IV.

Fragm. XLVI.

„Simul atrocia porriciunt extra ministatores."

(cf. Non. s. v. atrocia. Henr. Steph. p. 215. Merula. p. 425.) Codd. exhibent: proiecerit, prosicerent, et Venet. I. proiecerunt. — Versum sic puto esse emendandum:

Simul

Atrócia próiecérunt || éxsta minístratóres.

Fragm. XLVII.

„Vicissitatim volvi victoriam."

Nonius s. v. vicissatim haec verba e libr. IV. refert.

Fragm. XLVIII.

Simúl aliús aliúnde || rúmitánt intér se.

(cf. Fest. s. v. rumitare.) Bothius (fragm. comic. p. 25) haec verba, quum Festus, quo ea sumserit, non adderet, e comoedia quodam exstare putavit. At quum saturnius evadat, non dubito, quin sint ad carmen de bello poenico referenda.

Fragm. XLIX.

Seséque ií períre || mávolúnt ibídem,

Quam cúm stupró redíre || ad suós populáres.

(cf. Fest. s. v. stuprum,) — Ursinius in cod. Naevii scripsit pro »ii« ici, et Bothius coniecit pro »redire« rebitere; ut alio loco »perbitare« pro „perire". Sed hoc loco nulla coniectura opus esse cum C. O. Muellero puto; hiatus enim diaeresi excusatur. Vossius haec verba sic exhibuit:

Se seque ii perire mavolunt
Ibidem quam redire cum stupro ad suos
Populares.

Cui fragmento coniungendum est alterum hocce:

Fragm. L.

Sin illos deserant fortissimos virorum,
Magnum stuprum populo fieri pergetis.

(cf. Fest. l. l. — E. S. in fragm. e Naev. bello poen. libr. IV. 12.) Scaliger et Grot. sine iusta caussa scripserunt: deseritis, pro „deserant", et Scal. pro „magnum" magnum inde." Vossius „struprum tum" pro stuprum. Ursin. pro „pergentis", quod exhibent codd. „pergetis". Huschkius acri ingenio scripsit pro „pergentis „per gentis," ita ut simile verbum a poeta adiectum sit. — Merula pro virorum, quod Scaliger pro „viros" coniecerat, „eorum" probaverat. — Metrum restitutum invenies in Herm. elem. metr. p. 637.

Fragm. LI.

Inhóspitális víctricés absórbet únda
Làtiúm legiónes || hémonum.

(cf. Calp. Pis. ms. ap. Merul. p. 45.)

Fragm. LII.

Supérbitér contémptim || cónterít legiónes.

(cf. Non. s. v. superbiter, ubi hic versus ex Naevii libro IV (in aliis codd. ex libr. VI) refertur.

Fragm. LIII.

Fames acer augescit hostibus.

(cf. Prisc. VI. p. 647 et 697 ed. P. Mer. ad Enn. p. 435.) Mihi non integer versus Saturnius, sed duorum versuum membrum videtur.

Fragm. LIV.

„Septimum decimum annum illico sedent."

(cf. Non. s. v. illico. Merula. p. 436.) — Versus metrum, quum non nisi summa vi adacta restituere possim, omisi.

Fragm. LV.

Censént eó ventúrum || óbviám (Poeni).

Non. s. v. censent haec verba e libro VI. refert. Henr. Stephanus vocabulum Poeni, quippe quod non esset in omnibus codd. omisit; Hermannus scripsit Poenum. — Saturnius ita evadit, ut hiatus locum habeat medio in versu, de quo vid. supr.

Fragm. LVI.

Id qúoque pacíscunt móenia || ássint quáe Lutátium
Recónciliént: captívos || plórimós eídem
Sicíliensés pacíscit || óbsidés ut réddant.

Non. s. v. paciscunt hos versus sic nobis profert: »Id quoque paciscunt moenia sint quae Lutatium reconcilient captivos plurimos Idem Sicilienses paciscit obsides ut reddant." Merula p. 438 spp. sic versus restituit:

Id quoque paciscunt Poeni a Siculis, quo
Luctatium
Reconcilient . . . . Idem:
Captivos plurimos Sicilienses paciscit.
Ut reddant obsides".

Eum secutus est E. Spang. — (cf. Herm. p. 635.)

Fragm. LVII.

Convenit regnum simul atque locos ut haberent.

Non. s. v. loco hoc fragm. e libro VII. refert. cf. Merul. p. 439, qui pro haberent coniecit „haberet." Metrum non nisi magna vi adacta restituere possum.

Fragm. LVIII.

Hoc Samnite.

Citatur hoc frustillum e libro VII. Naevii apud Priscian. libr. VII.

Restant fragmenta quaedam ab E. Spangenbergio aliisque adhuc omissa, quae etsi perpauca sint; tamen in tam exiguo fragmentorum numero alicuius pretii mihi esse videntur.

Quorum unum exstat apud Macrob. Saturn. VI. 5.: »Cum tu arcutenens sagittis pollens dea;“ qui versus, ad librum primum pertinens, non dubito, quin sic restituendus sit:

„Tum tu arcutenens sagittis pollens Diana;“ aut sic: „Cum tu arcutenens sagittis pollens dea Diana.“

Nihil obstaret, quin hunc versum cum fragm. XXX. XXXII. coniungeremus, nisi ex Macrobii verbis apparere videretur, eum haec verba non cum iis coniuncta, sed alibi in Naevii carmine legisse.

Fragm. LIX.

Alterum versum, quem omisit Spangenbergius, Festus sine operis adnotatione s. v. sagmina affert, qui ad carmen de bello punico pertinere videtur:

Jús sacrátnm
Jovís iurándum ságmine . . . , quod fragmentum cum eo, quod sub eadem voce Paulus refert:

Scapos ac verbenas sagmina sumserunt

esse coniungendum quisque intelliget. Versum secundum, quem Spang. quoque addidit, levi coniectura sic puto esse emendandum:

Scapos ac verbenas, sagmina assumserunt.

Facillime enim fieri potuit, ut a libri scriptore propter antecedentem „a“ litteram, et sequentem „s“, syllaba »as« omitterentur.

Fragm. LX.

Tertium fragmentum exhibet Festus s. v. topper his verbis; »Topper significari ait Autorius cito, fortasse, celeriter, temere, cito: sic in Nelei carmine: Topper fortunae commutantur hominibus: citius si C. Ne-

vius: Capesset flammam Volcani: sic in eodem: Namque nullum peius macerat homonem quamde mare saevum. Vires cui sunt magnae topper confringent importunae undae«.

Locum corruptum sic emenda: . . . . citius: sic Naevius (non quod C. O. Muellerus Cn. Naevius, nam in Festo numquam eius nomen addito cognomine exstat.)

Topper capesset flammam Volcani.
Sic in eodem: Namque neillum
Peius macit homonem, quamde mare saevum
Vires cui sunt magnae topper confringent
Importunae undae.

Neilum pro nullum restituit Scalig., et pro macerat coniecit Ursin. macit. Herm. elem. p. 623 propter sententiae, quae in Hom. Odyss. VIII. 138 exstat, similitudinem, hoc versus Livii Andronici Odysseae vindicandos esse putavit. At quum codd. auctoritate hoc omnino non comprobetur, non dubito, quin Naevio sint tribuendi, Homerum imitato.

Fragm. LXI.

Quartum fragmentum, etsi misere corruptum, Varro de l. l. VII. 23 ed. Müll. p. 309 Sp. exhibet hocce:

»Ratis navis longas, ut Naevius, quom ait: conferre queant ratem aeratam qui perit et qui dum mare sudantes eunt atque sedentes«. Verba haec ad tertium librum quae pertinere videntur, Scaliger eumque secutus C.O. Muellerus sic doctissime et felicissime restituere:

„Non ferre queant ratem aeratam, qui
Per liquidum mare sudantes eunt atque sedentes“.

Locus hic vulgatae lectionis errore inter Ennianos solet haberi. (cf. Spangenb. VII. 47. p. 98.) At codd. optimi Havn. Florent. Cod. B. Aug. et Vetr. in marg. et Paris a et b. praebent nomen Nevii aut Naevii.

Fragm. LXII.

In eodem Varronis libro p. 153 Sp. hoc exstat fragmentum a Spangenberg. omissum:

»Dictator

Ubei currum insidit pervehitur usque ad oppidum«. Propter lectionem interprolatam haec verba ab H. Columna p. 140. Hess. inter Enniana referuntur. Sed iam Herm. elem. p. 637 ea belli punici esse agnoscens metrum sic restituit:

„Dictator úbi currum insidit

Pervehitur usque ad oppidum.“ Magis vero mihi metri ratio arridet, quam Muellerus p. 153 est secutus, qua re eam amplexus sum.

Fragm. LXII.

Praeter hoc Merula et Spangenberg. aliud quoque fragm. quod exstat in Varr. l. l. 325 Sp. 39 M., interpolata nominis lectione inducti inter Enniana retulerunt:

»atque prius parit locusta

Lucam bovem«; quod saturnii versus membrum omnibus adhibitis machinis in versum longum porrigere studuerunt Ennii Editores. At frustra. Nam optt. codd. Havn. Sciopp. Florent. Par. a et b. Naevii nomen hoc loco exhibent.

Fragm. LXIV.

Aliud deinde fragmentum, quod quum integrum versum Saturnium praebeat, et Naevii nomine nobis exhibeatur, in carmen eius de bello punico referendum esse puto, exstat his verbis apud Macrobium Saturn. I. 18: (Apollo) Liber a Romanis appellatur, quod liber et vagus est, ut ait Naevius:

Hac quá sol vágus habénas || ígneás immíttit

Non dubito, quin haec verba ad primum aut secundum librum pertinuerint.

Fragm. LXV, LXVI. LXVII, LXVIII.

Quibus quattuor vel quinque alia fragmenta minuta addi possunt, quae partim propter versuum rationem, partim propter verborum sententiam, quam exhibent, Naevii de bello poen. prim. primo carmini mihi vindi-

canda videntur. Quorum primum, quod apud Festum s. v. moene exstat his verbis:

»Apud emporium in campo hostium pro moene« iam C. O. Muellerus ad Fest. Naevio tribuendum esse putavit: duo alia exhibet Naevii nomine addito Isidorus de Origg. libr. V. 26 et XVI. 7. sic: Mare interbibere — alterum sic: Trionem hic moderatur rusticus. — Alterum ad pugnae cuiusdam navalis descriptionem, alterum ad Regulum mihi spectare videtur. Denique duo valde dilacerata Fest. s. v. runa et s. v. Sublicium exhibet, quos versus Ursinius, eumque secutus Lindemannus sic restituere conatus est:

»Quum liquidum sublicio tranat porte amnem«

„Ab tabulis qui adhuc nomen retinet Sublicius pons."

Sed tam incerta potius omittamus, quam in restituendis frustra operam perdamus.

Fragm. LXIX.

Denique fragmentum brevissimum exstat apud Fest. s. v. Pisatilem: „Pisatilem Pantaleontem." At etsi Muellerus h. l. hoc fragmentum e belli poen. pr. carmine sumptum esse putavit, tamen non intelligo, quo modo Naevius in hoc carmine Pantaleontem memorare potuerit. Nomen Pantaleontis rarissime occurit, Polybio excepto, qui de Pantaleonte quodam Aetolo pluribus locis loquitur. Heraclides in Polit. excerpt. Pantaleontem tyrannum nominat Eleorum; etsi constat, eum Pisatidem fuisse. Sed Eleorum et Pisatidarum frequens occurrit commutatio, ut e. gr. apud Steph. Byzant. Phlegon quidam, qui vicit Olymp. IV. et alius, qui vicit Olymp, XXVII. in catalogo victorum Elei e Dyspontio orti nominantur, etsi Dyspontium certo oppidulum pisatile fuit.

Corrigenda.

P. 6.	l. 15.	dele	v.	suum.	
„ 20.	„ 12.	lege	pro	Cicilia — Sicilia.	
„ 24.	„ 16.	„	„	Iliadum — Iliadem.	
„ 24.	„ 22.	„	„	Iliada — Iliade.	
„ 25.	„ 23.	„	„	concelebrantur — concelebrentur.	
„ 25.	„ 25.	„	„	praebant — praebent.	
„ 26.	„ 23.	„	„	longuefacta — languefacta.	
„ 28.	„ 11.	„	„	libros — libris.	
„ 32.	„ 12.	„	„	fuisse — fuisset.	
„ 32.	„ 12.	„	„	materium — materiem.	
„ 37.	„ 14.	„	„	billicosa — bellicosa.	
„ 40.	„ 14.	„	„	id — id.	
„ 47.	„ 33.	„	„	metram — metricam.	
„ 65.	„ 10.	„	„	quos — quas.	
„ 73.	„ 14.	„	„	Sibilla — Sibylla.	